MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN III

1927-1930

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1927

Romae — Ex Typographia Campitelli, Via Orazio Coclite 50-A.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI :
P. XTI.

Communes Societatis nuntii qui identidem a P. Secretario primum, deinde a P. Subsecretario, ad vos separatim mittebantur, opportunum quoddam afferebant remedium incommodo, quod plerique ex necessaria *Memorabilium Societatis Iesu* mora querebantur. Verum ne hac quidem ratione incommodo illi omnino occurrebatur : complura enim, quae nuntiorum litteris solum tangi possunt, pleniorem narrationem exigunt ; alii minores nuntii, quos epistola P. Subsecretarii praeterire cogitur, eo gratiores et utiliores Nostris essent, quo citius noscerentur, et tamen post aliquot demum menses in annuo *Memorabilium* fasciculo edi poterant.

Quibus omnibus attente perpensis, cum iam tertium *Memorabilium* volumen inchoari debeat (secundum enim volumen fasciculo anni 1926, qui nunc sub prelo est, complebitur), visum est talem eorum edendorum rationem inire, ut quantum in nobis est legitimis Nostrorum desideriis fiat satis.

Itaque deinceps non iam annui sed quadrimestres *Memorabilium* fasciculi prodibunt : primas cuiusque fasciculi paginas ordinariae P. Subsecretarii litterae tenebunt, quas sequentur articuli aliaque documenta peculiari ratione memoranda, nuntii minores et, quando opus sit, statisticae et similia.

Superiorum et bibliothecarum Praefectorum erit hos fasciculos custodire et, volumine absoluto, in unum compingendos curare ne eorum series interrumpatur. Vehementer autem commendo ut etiam in posterum, sicut compluribus in locis laudabiliter fieri solet, litterae P. Subsecretarii aliaeque *Memorabilium* potiores partes ad mensam legantur et ad usum FF. Coadiutorum in linguam vernaculam vertantur.

Spero equidem ita fore ut rerum Societatis notitia inter Nostros citius et latius spargatur, non sine maiore vocationis nostrae aestimatione et amore et mutuae caritatis incremento.

Vestris ss. SS. et OO. me enixe commendo.

Romae, die festo S. Aloisii Gonzaga, 21 iunii 1927.

Vestrum omnium
Servus in Xto.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

Vol. III. — Fasc. I. 30 iunii 1927.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

I.

IANUARIO-IUNIO 1927.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. carissimi :
P. Xti.

Ut videtis, novam inimus rationem vobiscum communicandi Societatis *Memorabilia* eamque vobis gratissimam fore speramus : citius enim et saepius ad vos perferentur quaecumque scitu digna et Nostris utilia futura videbuntur.

Sed, ne repetam ea quae Pater Noster suis hac de re litteris nuper datis (1) fusius commemoravit, enarrandi laborem, carissimum eum quidem, statim aggrediar.

Sacri Aloisii capitis itinera.

1. — Ut alias dixi, venerandum Sancti Aloisii caput Roma Castellionem non recta relatum est, sed per multas mediae et septentrionalis Italiae urbes primis huius anni mensibus ad modum triumphantis pertransiit. Ubique magni populorum concursus, adolescentium praesertim phalanges, sacras reliquias stiparunt ; ubique festorum sollemnia, magistratibus civilibus cum ecclesiastica auctoritate amice conspirantibus, exspectationem longe superarunt ; ubique (quod potissimum est) Sacramentorum frequentia omnino ingens fuit. RR. DD. Ioannes Bapt. Peruzzo, e Congregatione Passionistarum, Episcopus auxiliaris Mantuanus, qui sacrum caput, quocumque delatum est, fere semper est comitatus, ad Patrem Nostrum scribens, haec affirmare potuit : " . . . Inenarrabiles sa-

(1) V. supra, pag. 3.

cros devotionis fremitus ubique excitavit Sanctus noster carissimus, complures ubique ad Deum reduxit, christianum fervorem ubique auxit...„. Hoc modo Sanctum iuventutis Patronum summis honoribus cumularunt, ut minores urbes omittamus, Senae, Aretium, Florentia, Bononia, Mutina, Regium Lepidi, Placentia, Cremona, Genua, Condigomacus *(Casale Monferrato)*, Cherium, Augusta Taurinorum, Mediolanum, Novocomum, Bergomum, Brixia, Verona, Venetiae, unde venerandum Aloisii caput ineunte martio Castellionem iterum repetiit, a civibus etiam ex finitimis pagis magno cum gaudio et sollemni pompa exceptum.

Tot inter sanctae laetitiae festivitates, quae est mortalium rerum conditio, aliquid moeroris deesse vix poterat; maximae tamen Deo sint grates, quod multo minus fuerit quam ex rerum adiunctis iure erat pertimescendum: naufragium dico navis " Lecco „ quae die 18 februarii sacra lipsana per Larium lacum *(Lago di Como)* vehebat.

Vix navis post magnificum iter ad littus lacustre prope urbem Novocomum appulerat, eratque ingenti adhuc onerata cleri et adolescentium multitudine, cum ecce puppis, rima quadam laborans, invaditur aqua et paulo post tota navis submergitur. Accurrunt undique e littore auxilia laturi, omnesque e navi magnis conatibus littus attingere certant: strenui iuvenes, de Aloisianis reliquiis potissimum solliciti, eas statim ab imminenti periculo eripiunt et ad terram deportant, dum Comensis Episcopus, RR. DD. Adulphus Pagani, sui immemor, magna cum animi constantia ab infido navigio ut alios omnes descendant hortatur et iuvat, nonnisi ultimus illinc ipse discessurus. Non omnes tamen, Deo ita permittente, incolumes evaserunt: nam, praeter mulierem e lacu in nosocomium delatam et proxima nocte vita functam, duo dioecesani Seminarii alumni et portitor quidam fluctibus iactati inopinata morte abrepti sunt. Quamquam, si pensitemus quid factum fuisset, si non prope littus, sed medio lacu id accidisset, prout Episcopus et navis dux, qui fere soli calamitatem non tantum imminere sed iam iam incipere compererant, vehementer timebant, est profecto cur in has grati animi significationes prorumpamus quas idem Episcopus postridie suis ad populum datis litteris suggerebat: " Misericordia tua, Domine, quia non omnes sumus consumpti, et pro certo habemus Te quatuor illas victimas ex imperscrutabili tua permissione in holocaustum Tibi offerri voluisse, ut ex ipso funereo lucto lucu-

lentior appareret tuae in nostra praeservatione benignitatis magnificentia „.

Aloisianae peregrinationes.

2. — Ut nuntiatum erat, circa festa paschalia magna gallicae iuventutis peregrinatio Romam advenit: Mille et quingenti numerabantur, a Nostris potissimum, quamquam non omnes ad nostra opera pertinentes, coadunati et ducti. In triduanis supplicationibus ad sepulcrum S. Aloisii piissime peractis, sermones habuerunt P. Paulus Doncoeur (Prov. Camp.), P. Paulus de Jabrun et P. Paulus Coulet (uterque e Prov. Tolos.); Eucharisticam vero benedictionem impertiti sunt RR. DD. Vedastus Robichez S. I. (Prov. Camp.) Episcopus Trincomaliensis in insula Ceylan, RR. DD. Paschalis Diaz S. I. (Prov. Mexic.) Episcopus Tabasquensis, uterque illis diebus Apostolorum limina visitantes, et E.mus Card. Ludovicus Billot S. I. (Prov. Franc.).

Die 20 aprilis a Summo Pontifice, Excell.mo DD. Aloisio Maglione Nuntio Apostolico in Gallia et RR. DD. Vedasto Robichez et Patre Nostro comitantibus, benignissime omnes excepti sunt. Cum calicem pretiosum et praecipuos saeculi XIX religiosos Galliae eventus affabre exprimentem obtulissent, Beatissimus Pater promisit Se eo postridie usurum, sanctum Missae sacrificium coram ipsis offerens (1).

Alium calicem, etsi minus pretiosum, lilii instar perbelle confectum, die 22 aprilis in Curiam convenientes, Patri Nostro offerre voluerunt pii iuvenes, quorum bene multi postero die sepulcrum S. Stanislai venerabundi adierunt et ab eodem Patre Nostro ad aram litante sacra Synaxi refecti sunt.

Illis ipsis diebus Romae aderant alii quoque peregrinorum manipuli ex Belgio et Cechoslovachia, qui simul cum Gallis suam erga S. Aloisium pietatem ostenderunt et paternam Summi Pontificis benignitatem experti sunt: Cechoslovaci praeterea etiam Patri Nostro filiale obsequium praestiterunt, cum eorum plerique e nostris Collegiis et Sodalitatibus venissent, duce P. Cyrillo Jez Pragensis Collegii Rectore.

Demum, mense maio, in Urbe adfuerunt et Patrem Nostrum salutarunt ex Albania quadraginta quinque Aloisiani peregrini, inter quos nonnulli sacerdotes et quidam Pontificii nostri Collegii

(1) Vide infra, pp. 19-23, ubi integram allocutionem pontificiam referimus.

Scodrensis alumni aliique viri et adolescentes Marianae Congregationi adscripti. Romam venerat cum illis, praeter alios duos Episcopos et P. Laurentium M. Viezzoli (Prov. Ven.) peregrinationis ducem, etiam RR. DD. Lazarus Miedia, Scodrensis Archiepiscopus, qui ad aram S. Aloisii coram piis peregrinis primo ipso eorum adventus die Sacrum fecit. — Antequam ex Italia discederent ad pagum Genazzano dioecesis Praenestinae se contulerunt, celeberrimam Matris Boni Consilii imaginem veneraturi, quae ex Albania illuc miro modo olim translata esse pie creditur; ibique a civibus et magistratu festivis honoribus excepti sunt.

Eodem fere tempore ex Anglia, simul cum E.mo Card. Francisco Bourne Westmonasteriensi Archiepiscopo, multi catholici Roma petierant, qui etsi Aloisiani peregrini diei nequeant, Sanctum tamen Iuventutis Patronum colere non omiserunt, et Emus. Cardinalis ad aram S. Aloisii Sacrum fecit; Pater vero Cyrillus Martindale (Prov. Angl.), qui cum illis venerat, permagnum numerum subscriptionum pacti Aloisiani ab ipso potissimum collectarum Summo Pontifici obtulit. Omnes harum subscriptionum plagulae pulchris Gonzagae et Kostkae familiarum insignibus ornantur et centum viginti quinque nominum millia referunt: iuvenum quidem triginta quinque millia, reliqua autem nonaginta millia virorum cuiusque classis et conditionis, etiam carceribus inclusorum; quod Beatissimo Patri mirum quantum placuit, prout etiam litteris per Cardinalem Secretarium Status ad eundem Patrem Martindale datis paulo post iterum testari dignatus est.

Centenarii Aloisiani conclusio.

3. – Festum S. Aloisii, quod singulari Sanctae Sedis concessione in tota Societate ad gradum primae classis, etsi hoc tantum anno, evectum est, ad eius sepulcrum peculiari sollemnitate, dum vobis haec scribo, celebratur. Primas Vesperas et Missam Pontificali ritu habuit Emus. Card. Franciscus Ragonesi; secundas Vesperas item pontificali ritu peragit RR. DD. Michael d'Herbigny S. I. Episcopus tit. Iliensis; orationem vero panegyricam dicit P. Alexius Ambr. Magni (Prov. Ven.), post quam venerandus Sacri Collegii Decanus nonagenarius Emus. Card. Vincentius Vannutelli, Collegii Romani olim alumnus, gratiarum actionis hymno decantato, Eucharistiam benedictionem impertiet. – Proximo die dominico, in vetustissimo templo S. Stephani in Monte

Caelio, ut antiquissimus mos tenet, peculiari ritu comburentur "memorialia„ quae vocantur, id est epistolae, quas ingenuo candore Romani adolescentes suo Patrono scribere solent eius beneficia imploraturi.

Coetus Romanus, qui Aloisianam commemorationem centenariam toto hoc anno impense curavit, antequam suis laboribus finem imponeret, die 20 iunii Patrem Nostrum convenire voluit, ut "debitum — (Praesidis verbis utar) — praeberet obsequium Praeposito Generali illius Societatis, quae inter suos filios Aloisium Gonzaga numerare meruit quaeque illum sex annos ad sanctitatis culmen attingendum adiuvit; simulque ut omnes Coetus socii testarentur se libentissime suam navasse operam ad hanc Angelici Iuvenis maiorem gloriam promovendam, quae ubique cum vero christianae iuventutis spirituali emolumento coniuncta est".

Et sane, quamquam praecipui hi spirituales fructus uni Deo noti sunt, ex multis tamen relationibus undique allatis satis cerni potest quantum ubique fuerit fervidae pietatis augmentum, quantaque Aloisiani pacti utilitas et efficacia ad adolescentium animos in serio vitae christianae proposito firmandos: immo variis in orbis terrarum regionibus complures iuvenes, solo Aloisiano pacto prout proponebatur non contenti, illud additamentis iisque non adeo facilibus compleverunt, nec verbo tenus; alicubi, praesertim in Collegiis, evidens fuit et perseverat alumnorum in melius aemulatio, non sine magno totius disciplinae ipsorumque studiorum profectu. Deo igitur agendae sunt gratiae quod his festis adeo benedixerit ut eorum exitus omnino spem superaverit.

Ceterum de toto hoc anno centenario plena, quantum fieri poterit, paratur relatio, qua fidelis tanti eventus memoria servetur.

Nostri ad dignitates inviti evecti.

4. – Albanienses peregrinos, quos supra commemoravi, alloquens Summus Pontifex inter alia affirmavit Se de eorum patria assiduam gerere curam et in medio eorum velut coram adesse, siquidem Delegatum Apostolicum apud eos misisset. Novus hic Albaniae Apostolicus Delegatus, ex firma Sanctae Sedis voluntate, cui ulterius resisti, salva obedientia, non potuit, est RR. DD. Ioannes Bapt. Della Pietra S. I. (Prov. Ven.), qui Pontificii Collegii Scodrensis iterum Rector paulo ante renuntiatus erat. Romam vocatus mense februario, crucem illam a se avertere frustra co-

natus, die 19 martii in ecclesia S. Petri Canisii Collegii Germanici de Urbe ab Emo. Card. Gulielmo Van Rossum, adstantibus RR. DD. Francisco Marchetti Selvaggiani et Michael d'Herbigny, episcopalem consecrationem recepit, Chalcedonensis Archiepiscopi titulo insignitus. Quod, praeter obedientiam Christi Vicario debitam, hunc honorem a Societate tam alienum tolerabiliorem facit, hoc est: agi de officio variis de causis valde ingrato et difficili, optimos quidem inter catholicos, sed Mahumetanis schismaticisque permixtos et in regione ab exteris Missionibus haud multum dissimili.

Idem fere, etsi alia de causa, dicendum de R. P. Ludovico Benítez (Prov. Mexic.) die 23 decembris 1926 renuntiato Episcopo titulari Isbitano et Auxiliari Tulancingensi. Eae sunt enim Mexicanae Reipublicae conditiones, ut ne hoc quidem, utrum novus ille Praesul consecrari potuerit necne, hucusque rescitum sit.

De rebus Mexicanis et Centro-Americanis.

5. – Et sane persecutio religiosa in Mexico saevior in dies fit. Omnes fere Episcopi expulsi sunt, inter quos RR. DD. Paschalis Diaz S. I. Episcopus Tabasquensis, qui mense aprili Romam venit et a Summo Pontifice benevolentissime exceptus est, deinde in Hispaniam et Galliam se contulit, emum in Status Foederatos secedet clerum populumque catholicum suae patriae omni ope adiuturus. Atrociora crimina occulta tenere curant impii Ecclesiae insectatores, sed frustra: nam plerumque serius ocius nota fiunt. Proximis hisce mensibus complures sacerdotes morte affecerunt, nonnullos etiam vivos sepelierunt; aliis probrosos morbos artificiose iniecerunt, quo facilius calumniis eos impeterent. Ab his omnibus divina Providentia Nostros hucusque liberavit, sed quidam gravissimis periculis etiam nunc obiiciuntur. Duo Collegia quae hactenus aliqua ratione caute continuari potuerunt, iam magnis difficultatibus premuntur, Nostris fere omnibus a docendi munere repulsis: Praefectus generalis disciplinae unius ex his Collegiis in carcerem detrusus est. – In Missione Tarahumarensi nonnisi unus Pater et quinque Fratres manent. — Alibi, Patres huc illuc dispersi profano mercatorum aut opificum habitu induti (Sanctas Sedes enim, ut in magnis persecutionibus fieri solet, amplas facultates et dispensationes dedit), catholicorum animum roborare et Sacramenta ministrare student, non sine sui capitis periculo.

Ut unum afferam, P. M. A. Pr. Exercitia spiritualia dare potuit quibusdam mulieribus primum, mox quinquaginta viris rhedarum automobilium ductoribus, deinde octoginta fere magistris aliisque mulieribus quae Status officia obeunt. Complures etiam habet idem Pater conferentias, quas vocant, aliaque ministeria; ex quibus omnibus non parvos fructus et nonnullas insignes conversiones retulit. Pater ita in magna urbe abditus vivit ut fideles ipsi, ubi continenter degat, ignorent. Quatuor tamen habet diversoria, in quibus reperire et consulere eum possunt, eique abunde necessaria afferunt. " Quapropter, – ipse scribit, – veluti manu tango ea quae de divina Providentia et benignitate pro cura corporis et animae in vitis Sanctorum narrantur „. Eius autem opera, praesertim pro extremis Sacramentis, ita expetitur, ut unum doleat, se non posse, quantum desiderat, omnibus petitionibus facere satis. – Quae tamen omnia quominus cum externis communicemus et vulgemus prudentia vetat.

De iuvenibus autem aliisque catholicis bene multis in odium fidei necatis, qui Christi Regis Martyres iam nunc, non modo a popularibus, sed ab ipso Summo Pontifice vocari coepti sunt, non meum est hic plura enarrare. Non tamen a domesticis nostris nuntiis alienum puto quatuor illos nostrae Congregationis Marianae Sodales commemorare, quos nefaria persecutorum rabies, victricem eorum vocem " Vivat Christus Rex! „ frustra suffocare contendens, die 3 ianuarii in urbe León crudeli eoque glorioso martyrio coronavit. En eorum nomina aeterno honore digna: Iosephus Valencia Gallardo, Salvator Vargas, Ezechiel Gomez, Nicolaus Navarro; primus erat Sodalitatis Praefectus, alter Secretarius, reliqui duo Congregati. Cum nuper Summo Pontifici offerrentur eorum imagines photographicae, Beatissimus Pater sua manu circum imagines illas scribere dignatus est triumphantia haec verba: " *Et palmae in manibus eorum... Gloria Christi... Sanguis Martyrum semen... Laudem eorum nuntiet Ecclesia... Pius PP. XI* „; easque ita ornatas, quasi futurae illorum beatificationis omen et pignus, tantorum filiorum parentibus reddi iussit.

Etiam Respublica Nicaraguensis internis dissensionibus et bellis civilibus non sine Ecclesiae detrimento saepe exagitatur. Maximi tamen fiunt, saltem apud bonos cives, Societatis opera, praesertim Collegium Centro-Americanum, quod nuper Exc.mus Dnus. Aemilianus Chamorro, olim illius Reipublicae Praeses, Pa-

trem Nostrum invisens magnis extulit laudibus. – In Republica Salvatoriana, post vehementes nefariorum conatus ad opinionem publicam contra nos concitandam, nunc quiete fruimur, timoribus tamen minime vacua. – Ex utraque hac regione, quo facilius domus Societatis administrarentur, anno superiore constituta est Missio Centro-Americana, a Provincia Mexicana dependens, cui Superior praeest R. P. Marcellus Renaud, Granadensis Collegii Rector.

In finitima Republica Guatemalensi, e qua unicus qui exstabat Iesuita, RR. DD. Aloisius Xav. Muñoz (Prov. Castell.), nulla de eius archiepiscopali dignitate habita ratione, ante aliquot annos expulsus erat, mutatis nunc magistratibus supremis, res quoque catholica in melius mutata est, adeo ut de probabili Archiepiscopi reditu iam esset quaestio; cum ecce venerandus Praesul, qui in Columbia illarum Missionum Visitator Apostolicus degebat, brevi morbo confectus, die 24 ianuarii Bogotae e vivis ereptus est. Eius mortem tota Columbiae metropolis doluit, ipsumque Columbianum Gubernium peculiari edito decreto magnis honoribus ei parentandum esse edixit; quod postridie in maximo urbis templo factum est, Excellentissimo DD. Paulo Giobbe Nuntio Apostolico sollemni ritu sacrum faciente, et adstantibus, cum Reipublicae Praeside, Ministris Status et exterarum Nationum Legatis.

De Missionibus.

6. – Ad Missiones quod attinet, complura vobis attulerunt et saepe afferent *Nuntii de Missionibus*, quos Secretariatus noster iam typis edere coepit. Verum, cum illi non eadem ratione ac *Memorabilia* conficiantur et per domos distribuantur, neuter libellus alteri officiet, immo vero alter ab altero complementum accipiet.

De rebus Sinensibus ipse Pater Noster (1) superiore mense vos est allocutus et vobiscum communicavit epistolam R. P. Superioris Missionis Nankinensis, quam hoc quoque *Memorabilium* fasciculo escribimus (2) ne in annalibus nostris plena illarum rerum narratio desideretur. Necem Patrum Henrici Dugout et

(1) Epistola ad universam Societatem, die 16 maii 1927.
(2) V. infra, pp. 24-26.

Candidi Vanara (Prov. Franc.) complures ephemerides ubique vulgarunt. Ipse Summus Pontifex, post academiam quandam polyglottam ab Urbano Collegio de Propaganda Fide die 24 maii in Damasiano cavaedio habitam, de rebus Sinicis loquens, ait vastissimam illam regionem magnis quidem nunc exagitari rebellionibus, sed confessionum magnanimitate et etiam " Martyrum sanguine „ illustrari. Quibus verbis, Beatissimum Patrem sin minus Nostros tantum, at saltem illos etiam tam insigni titulo honorare voluisse vix dubitari potest; siquidem de aliis Missionariis ad mortem usque vexatis certus nuntius, ni fallor, non habetur. Etiam RR. DD. Celsus Costantini, Delegatus Apostolicus, litteris ad omnes Sinarum Episcopos in praesentibus rerum angustiis solandos et roborandos datis, duos Nostros vocat novum Sinensium Missionum decus. – Nec silendum memoriae P. Candidi Vanara, Augustae Taurinorum civis, nuper a quadam Mediolanensi consociatione, cui nomen "*Il premio al dovere*", honorariam Crucem decretam esse; quam Crucem P. Hadriano Gazzana Collegii Mediolanensis Rectori, a Patre Nostro ad id delegato, ipse Italiae Rex sollemni ritu die 20 iunii tradidit. — Nomine vero Patris Dugout viam quandam in parte illa urbis Changhai, quae *Gallica concessio* vocatur, mox dicandam esse accepimus.

Multis periculis et vexationibus obnoxii fuerunt Patres Hispani in Missionibus Ankingensi et Wuhu, ut Pater Noster in sua epistola tetigit, et loco cedere debuerant. Nunc tamen, rebus paulisper compositis, in suas stationes, laudabili sane cum festinatione et animi fortitudine, redierunt. In Missione autem Hwaisensi (Prov. Taur.) rerum conditio ea fuit, ut Patres, etsi bellicas perturbationes non penitus ignorassent, plerumque suo quisque loco manere potuerint.

Die 3 martii Missio Tananarivensis in Madagascar (Prov. Tolos.), quae iam multis premitur difficultatibus, ingens passa est damnum: vehementissimus ventorum turbo totam fere urbem Tamatavam, in eaque templum, domum, aliaque Societatis opera, vastavit et destruxit. Abditam sed semper paternam Dei voluntatem reveriti, RR. DD. Vicarius Apostolicus et R. P. Superior Missionis mira animi constantia ingentes ruinas reparare et ad ulteriora se extendere non sunt cunctati; quae in Deum fiducia statim magnis benefactorum auxiliis remunerata est.

Ineunte mense iunio Missio Chota-Nagpur in Indiis, quae iam inde ab initio, assidua praesertim opera P. Constantini

Lievens (Prov. Belg.) immatura morte anno 1893 ob nimios labores correpti, laetissimos conversionum fructus attulit, ab archidioecesi Calcuttensi separata est et in novam dioecesim, Provinciae Belgicae etiam in posterum commissam, erecta est, episcopali sede in urbe Ranchi constituta.

Missio Insularum Philippinarum a die Paschatis huius anni Provinciae Marylandiae-Neo Eboracensi subiicitur, quo impensius Provincia Aragoniae suae Missioni Bombayensi operam praestare possit.

Ut scitis, Romae in aedibus Pontificiis Lateranensibus impigre paratur Musaeum Missionarium, quod Expositionis Missionariae fructus et utilitatem in perpetuum producat. Magno huic operi ad propositum finem aptando praeest Coetus quidam a Summo Pontifice selectus, cui adnumeratus est unus e Nostris, P. Henricus Dubois (Prov. Camp.), in Madagascar olim Missionarius. — Idem Coetus Patri Nostro sponte proposuit ut Societas magnam S. Francisci Xaverii statuam erigendam curet, in ipso Musaei Missionarii vestibulo collocandam; quam propositionem Pater Noster libenter profecto amplexus est et de exsecutione iam agere coepit.

Opus Pontificium a Fidei Propagatione instanter petiit ut unus e Nostris sibi concederetur, qui Missionum notitiam per varias Italiae dioeceses spargendam curaret. Cui petitioni Pater Noster annuit et P. Marium Grimaldi (Prov. Taur.) huic ministerio vere apostolico designavit. — Idem magno cum fructu praestat in Statibus Foederatis Americae P. Theophilus Van der Schueren (Prov. Belg.), Missioni Calcuttensi adscriptus.

Domus Loyolaea ab incendio liberata.

7. Loyolaeam Domum probationis Provinciae Castellanae, cui adnexa est veneranda S. P. N. Ignatii natalis domus, die 29 martii praesentissima Dei providentia a magna clade eripuit. Hora post mediam noctem prima tres e Nostri eodem tempore e somno excitati totum aedificium fumo invasum persenserunt ingentesque flammas ex ima domus parte egredientes conspexerunt. Crebri nolarum tinnitus omnes domesticos e cubiculis evocarunt et cives finitimosque ruricolas de nostro periculo monuerunt, qui statim, instrumentis ad incendium extinguendum aptis muniti, undique accurrerunt.

Interea flammae in immensum crescebant, totam culinam ad triclinium usque invadentes; quod si, culinae tecto perforato, valetudinarium in superiore contignatione positum attigissent, per tectum procul dubio totum aedificium incendissent. — Sed, Deo adiuvante, incredibili prorsus celeritate praeter omnem spem incendium suffocari potuit, quin ullus e Nostris neve ex amicis auxilium praebentibus damnum quodvis pateretur. — Iure igitur publicae Deo actae sunt gratiae, nobiscum omnibus Azpeitiae et Azcoitiae civibus gratulantibus quod e tanto periculo incolumes evaserimus.

Incendii causa vix sciri potuit: forte igniculus, insciis Fratribus, sub cinere doloso incensus permanens, paulatim ad proximas res se extendit indeque ad totam culinam. Praecipuum damnum fuit combustio ciborum qui penu servabantur, inter quos nongenta litra olei, quod certe magnam praebuit ignibus escam: omnia detrimenta ad viginti quinque pesetarum millia computantur.

Orientalia.

8. — Mense aprili Belogradi, in Jugoslaviae urbe principe, habitus est secundus Congressus internationalis de studiis byzantinis, cui interfuerunt e Nostris duo: RR. DD. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.) et P. Gulielmus de Jerphanion (Prov. Lugdun.), e Romano Pontificio Instituto Orientali. Quamvis et locus et tempus ad id selectum (hebdomada maior) et nomina multorum ex conventuris animum Congressus ab Ecclesia Catholica sin minus aversum saltem alienum fore satis aperte monstrarent, omni tamen ratione curarunt Congressus Moderatores, ut RR. DD. d'Herbigny, utpote qui Roma veniret et Pontificio Instituto praeesset, etsi proprie Summi Pontificis personam illa occasione non ageret, vix non tamquam Sanctae Sedis Legatus honoraretur. Ut cetera obsequia mittam, statim post sermonem officialem quo Congressus inchoabatur, ei loquendi copia est facta, secundae et tertiae sessioni ut praeesset rogatus est; et cum sollemnis academia musicalis in honorem Congressus coram Rege haberetur, ipse Rex illum sibi assidentem voluit et magna cum benevolentia eum est allocutus. Quae omnia eo magis sunt aestimanda, quod paucis ante annis, usque ad immane bellum europaeum, cultus catholicus in tota Serbia ita vetitus esset, ut unus sacerdos ca-

tholicus et unum sacellum permitteretur apud Legatum Caesareum Austriacum. Magna sane temporum rerumque mutatio!

Cum ex mandato Sanctae Sedis, ut alias tetigi, P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl.-Neo Ebor.) de subsidiis pro proximo Oriente in toto Statuum Foederatorum Americae territorio colligendis et coordinandis praecipuam curam susceperit, illius eiusque adiutorum consiliis et laboribus Deus adeo benedixit, ut stato die plus decies centena dollariorum millia collecta sint, praeter centum duodecim studiorum peculia seu " bursas „ pro Russis iuvenibus variis in regionibus studio vacantibus. Nunc idem P. Walsh Romae ad tempus versatur, Summo Pontifici de his omnibus relaturus.

Gratulationes P. Ioanni Hagen octogenario.

9. — Cum die 6 martii P. Ioannes Hagen (Prov. Germ. Sup.), Speculae astronomicae Vaticanae Praefectus, octagesimum aetatis annum esset completurus, Summus Pontifex pridie vespere eum familiari quodam conventu honorare voluit. In hortos Vaticanos invitati erant E.mi Cardinales Petrus Gasparri et Franciscus Ehrle, RR. DD. Richardus de Samper, Camillus Caccia Dominioni et Iosephus Pizzardo, Pater Noster et P. Iosephus Gianfranceschi (Prov. Rom.) Pontificiae Academiae Scientiarum Praeses: advenit demum cum perexiguo comitatu Beatissimus Pater, et octogenario gratulatus, magna cum benevolentia ei tradidit aureum numisma ad id excusum, quod altera ex parte effigiem Summi Pontificis refert, ex altera vero haec inscripta verba:

Astronomo Clariss. - IOANNI HAGEN - *Soc. Iesu Praef.*
Speculae Vat. - *LXXX annos* - *Supergresso* - *Feliciter*
Prid. Non. Mart. - *A. MDCCCCXXVII.*

Post haec Beatissimus Pater nullo apparatu nullaque maiestatis pompa ad Speculam Vaticanam invisendam, aliis invitatis comitantibus, ascendit et vegetum octogenarium Astronomum instrumenta et novissimas scientiae suae inquisitiones alacriter enarrantem attente audivit. In hortos regressus, magna cum simplicitate hospites huc illuc aliquantulum secum duxit deambulatum; demum iis benedixit illosque tantam benevolentiam admiratos dimisit.

Eidem Patri Hagen gratulationes undique allatae sunt, inter quas memoria digna est laurea theologica ad honorem ab Universitate Guilelmia Guestfala Monasteriensi (Münster) ei tributa.

De novis in Urbe aedificiis et Sancti Ioseph patrocinio.

10. — Denique, laetus nuntius vobis afferendus occurrit: die 1 iunii in novo aedificio, quod pro nostra Curia prope Vaticanum exstruitur, parva quaedam communitas residere coepit, ex iis Patribus Fratribusque constituta, qui a Patre Nostro et Assistentibus minore cum difficultate interim abesse possunt. Quindecim numerantur eisque praeest Vicesuperior ipse Curiae Minister, cuius officium hic gerit unus e Secretarii Substitutis. Aedificium illud nondum quidem perfectum est nec tam brevi perfici poterit; sed quaedam eius partes eae iam sunt, ut proximo mense novembri totam Curiam in iis locum inventuram esse speretur.

In toto hoc novae Curiae exstruendae negotio, sicut et in inchoato aedificio Universitatis Gregorianae, presentissimam Dei providentiam et Sancti Ioseph patrocinium saepe experti sumus. Beatissimo Patriarchae, cuius imago utrobique inter murariae artis tabulationes eminenti loco et lampade electrica perpetuo collucente exposita est, referre praesertim debemus quod, in tam variis tamque periculosis accidentibus magnarum exstructionum propriis, nullus operariorum hucusque vita periclitatus sit.

Nec defuerunt mira Sancti Ioseph patrocinii indicia. Ut evidentiora tantum commemorem, in parandis Universitatis Gregorianae fundamentis complures altissimi viginti fere metrorum putei (quae est Romani soli conditio) excavari debuerunt, qui, quamquam eorum orae summa cum diligentia tabulato muniuntur, magna profecto fabrorum incolumitati pericula praebent. Iamvero, vix olim operariorum manipulus ex illis tenebrosis anfractis ascenderat, cum ecce, ingens terrae copia, tabulati munimine nescio qua de causa abrupto, praeceps ad ima corruit, homines certo certius suffocatura, nisi ab imminenti periculo potens Sancti Ioseph benevolentia eos tempestive subripuisset. — Alias, priscis nec parvis molitionibus destruendis dabant operam nonnulli fabri murarii, cum copiosus molestusque imber, etsi brevissimus, eos inde expulit: parva illa laboris intermissio ab interitu eos liberavit, nam statim ac eo loco recesserunt, murus cui demoliendo incumbebant magno cum fragore sed nullius detrimento corruit.

His aliisque beneficiis pia ipsorum operariorum in Sanctum Ioseph fiducia in dies augescit, eiusque patrocinium etiam architecti libenter agnoscunt: quam Sancti Ioseph benevolentiam ne in posterum quidem nobis defuturam esse pro certo habemus. Pater Noster vero, grati animi causa, iam nunc spopondit se, tam in nova Curia quam in nova Gregoriana Universitate, Beatissimi Patriarchae statuam, in horto aliove opportuniore loco, esse erecturum.

Vestris ss. SS. OO. me enixe commendo.

Romae, die festo S. Aloisii Gonzaga, 21 iunii 1927.

Vestrum omnium
Servus in Xto.

HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS

AD PEREGRINOS ALOISIANOS GALLOS

die 20 aprilis 1927 (1).

Postquam omnibus peregrinis, quatuor longis ordinibus collocatis, manum deosculandam porrexit, Summus Pontifex, quem Nobiles Custodes cubicularii antecedebant, et Excell.mus DD. Aloisius Maglione Apostolicus Galliae Nuntius, RR. DD. Vedastus Robichez S. I., RR. D. Augustus Boudinhon templi S. Ludovici Francorum in Urbe Rector, RR. D. Franciscus Xav. Hertzog S. Sulpicii Procurator Generalis circumdabant, ac Pater Noster sociabat, solium ascendit.

Tum alumnus quidam pauca verba legit, quae donum peregrinorum comitabantur : erat autem donum calix argenteus, praecipua Ecclesiae facta in Gallia saec. XIX referens. Alius alumnus Beatissimo Patri album obtulit, subscriptiones in pactum Aloisianum continens.

Post haec Summus Pontifex ita eos affatus est (2) :

Soyez les bienvenus, chers enfants.

Voilà une bien rapide revue que Nous venons de passer, une revue qui Nous a pris du temps, c'est vrai, mais qui Nous a procuré la grande joie de vous approcher un à un, de pouvoir lire à chacun dans les yeux et dans le cœur, et de faire, non seulement par une manière de dire, mais vraiment, la connaissance personelle de chacun de vous.

C'est déjà vous dire dans quels sentiments de profonde joie, de profonde consolation Nous vous voyons, Nous vous saluons, Nous allons vous bénir dans la maison du Père Commun des

(1) V. supra, pag. 7.

(2) Ex *Osservatore Romano*, 22 apr. 1927, et ex adnotationibus privatis.

fidèles, où, en bons enfants, vous êtes venus chercher le Père Commun pour lui dire par votre présence combien vous l'aimez combien vous êtes avec lui maintenant et toujours.

C'est que Notre cœur paternel se réjouit toujours quand Nous pouvons voir devant Nous et autour de Nous de la jeunesse, cette partie si exquise et, Nous pouvons bien le dire, si précieuse de la grande famille catholique que le cœur du Bon Dieu a bien voulu confier à Notre cœur. Vous êtes, en effet, les fleurs de l'avenir, vous êtes les espérances de l'avenir, vous êtes la promesse radieuse de l'avenir.

Mais quand il s'agit d'une jeunesse qui se prépare à la vie — Nous le savons et Nous l'avons vu — non seulement par l'étude, par la recherche de la science, mais par la pratique de la vertu et la recherche de la sainteté chrétienne, alors notre consolation se fait encore plus profonde.

Et c'est cette consolation que vous Nous apportez. Votre pèlerinage suffirait à lui seul à prouver cette double recherche: voilà, en effet, des étudiants et des jeunes gens qui viennent faire un double pèlerinage romain et aloysien. Venant en témoignage de leur foi romaine et apostolique, ces jeunes gens viennent dire au Vicaire de Jésus Christ, au Pape, au Chef de l'Eglise, combien ils lui sont affectionnés, combien ils désirent lui manifester les sentiments de piété filiale qui les animent.

Et c'est aussi ce pèlerinage aloysien qui vous appelle au tombeau de S. Louis de Gonzague; et vous l'avez entrepris pressentant, goûtant et suivant ce parfum de piété angélique, suivant les attraits de cet idéal de jeunesse vertueuse et sainte. Vous n'auriez pu choisir un meilleur exemple, un meilleur idéal auquel vous inspirer pour cet engagement de vie non seulement totalement et saintement mais noblement chrétien.

Car c'est bien ce Saint Gonzague qui, à la fleur de sa jeunesse, a apporté tout ce qu'un cœur noble, pouvait apporter à la rapide conquête de la sainteté: un grand nom, une grande richesse, une grande succession, toutes les promesses que la vie peut faire, une intelligence supérieure, un cœur généreux, tout cela il l'a apporté à la rapide conquête de la sainteté de telle sorte que l'Eglise a pu lui appliquer cette belle parole: " Consummatus in brevi, explevit tempora multa „. Ce que d'autres ont fait longuement, il l'a fait très rapidement.

Chers enfants, ne perdez jamais de vue, même quand vous serez avancés en âge et dispersés dans le différentes directions de la vie, cet idéal qui a inspiré cette jeunesse.

Vous n'oublierez jamais ce magnifique engagement que vous avez signé de vos noms, que vous Nous avez présentés, la plus belle collection d'autographes que Nous ayons jamais vue.

Faites ce que vous avez promis, soyez fidèles à cet engagement de foi simple et forte, soyez toujours fidèles à la fréquence de la communion, base de toute vie chrétienne, mais surtout secret de la pureté qui doit être l'honneur non seulement de votre âge mais de toute la vie.

Soyez fidèles à la belle promesse que vous avez souscrite de donner au moins cinq minutes chaque jour à la lecture d'un bon livre, c'est-à-dire de consacrer au moins un instant à la bonne pensée, à la pensée de votre âme, de votre vie éternelle.

Soyez fidèles à ces bonnes promesses, et alors, chers enfants, Nous repondons de vous avec confiance, alors tout le reste viendra, parce que le Cœur du Divin Maître et du Divin Roi dilatera toujours vos cœurs et vos intelligences pour vous conduire vers les plus belles finalités de la vie.

Nous voudrions vous entretenir longtemps encore parce que indicible est Notre joie de vous voir, indicible le charme que vous exercez sur notre cœur.

Mais il faut Nous hâter de vous donner la bénédiction que vous êtes venus chercher dans la maison du Père, cette bénédiction que vous désirez comme couronnement de votre double pèlerinage romain et aloysien, comme signe visible de cette bénédiction divine qui vous accompagnera non seulement dans votre voyage de retour mais dans toute la vie.

Que vous soyez donc bénis tous et chacun.

Et que soient bénis ensuite avant tout ceux qui ont péparé ce beau pèlerinage. Ils ont bien mérité de vous et ils ont bien mérité de Nous.

D'une façon toute particulière, avec une effusion toute spéciale, nous benissons les âmes qui sont près de vous l'instrument de la Divine Providence, qui travaillent à votre instruction, à votre éducation, à votre préparation non seulement de l'intelligence mais du cœur, non seulement à la science mais à la vertu.

Nous tenons pour fait à Nous-même ce qu'ils font pour vous, comme Notre Seigneur l'a dit: " Ce que vous faites au plus petit des miens, c'est à moi-même que vous le faites „. Comment ne dirions-Nous pas cela Nous aussi, Nous que vous appelez si affectueusement votre Père ?

Mais Nous voulons aussi bénir tous ceux que vous portez dans vos pensées et dans vos cœurs, ainsi que vous le voulez et le désirez, vos chers parents, vos chères familles, vos maisons, vos patries, vos petites et grandes patries, vos villes, vos villages, vos pays entiers.

Ce n'est pas sans une consolation toute particulière que nous voyons si bien représentés ici les beaux pays de Tchéco-Slovaquie, de Belgique (1), de France, de cette chère France qui Nous est si chère et que Nous aimons tant.

Vous allez le dire, chers enfants de France, à tous ceux que vous rencontrerez à votre retour. Le Pape aime la France, il l'aime profondément, ardemment, il prie tous les jours pour la France, et avec une ferveur toute particulière à la Sainte Messe de chaque jour, il prie tout particulièrement pour la jeunesse de France afin qu'elle soit toujours l'espoir de la France, de l'Eglise et de la société, afin qu'elle soit toujours digne de re-représenter la Fille Aînée de l'Eglise, c'est-à-dire la Fille Aînée du Pape.

Que Notre bénédiction, chers enfants, descende sur vous, sur vos saints propos, sur les fruits de votre double et saint pèlerinage, sur toutes le personne qui vous sont chères, selon que vos cœurs la désirent et la demandent.

Nous voudrions... La parole venait du cœur aux lèvres, la parole d'adieu, mais Nous ne voulons pas la dire, parce que le voyage de Rome n'est pas un voyage comme un autre voyage, surtout quand il s'agit d'un pèlerinage.

Le voyage de Rome, c'est comme certains livres, certains grands livres qui appartiennent, plutôt qu'à l'un ou l'autre pays, à toute l'humanité. Les lire est un devoir, les relire devient un besoin.

De même quand la possibilité s'offre, c'est un devoir de

(1) Aderant etiam quidam peregrinorum manipuli ex Cechoslovachia et Belgio: cfr. supra, pag 7.

venir à Rome. Mais Nous ne doutons pas que l'accomplissement de ce devoir vous donne la désir de refaire ce voyage.

Alors, non pas le mot d'adieu, mais le mot d'au-revoir . . .

Summus Pontifex tum adolescentium multitudini genibus flexae benedixit ; mox haec addidit :

Avec Notre bénédiction, Nos remerciements aussi pour le précieux cadeau que vous venez de Nous offrir.

Il est superflu de dire combien il Mous est agréable, et avec quelle douceur Nous le garderons comme souvenir de cette heure bénie. Nous connaissons votre désir qu'il Nous serve pour le Sainte Sacrifice. Cela sera fait, chers enfants, et le Saint Sacrifice que demain matin Nous offrirons au Bon Dieu sera offert avec ce précieux cadeau, et il le sera non seulement pour toutes vos intentions, mais pour tous ceux pour qui vous avez prié pendant votre pèlerinage.

Mais surtout, merci encore de votre cadeau le plus précieux, le cadeau et le don de votre présence filiale.

Et haec locutus, inter plausus erumpentes recessit

II.

DE REBUS SINENSIBUS.

Litteris die 31 maii huius anni datis, Pater Noster cum universa Societate tristes de nostris Sinensibus Missionibus nuntios communicavit; quae litterae in *Actis Romanis* anni 1927 suum locum obtinebunt. Ne eadem hic repetamus, neve tamen de caede duorum Missionariorum, P. Candidi Vanara et P. Henrici Dugout (Prov. Franc.), aliisque illarum Missionum calamitatibus hic penitus sileamus, epistolam transcribimus a R. P. Eugenio Beaucé (Prov. Franc.), exaratam, quam Pater Noster suis litteris tamquam documentum adiecerat.

Lettre du R. P. Eugène Beaucé
Supérieur de la Mission de Nanking
(*Extrait*).

Eglise St. Joseph, Shanghai, 2 avril 1927.

Mon Très Révérend Père,
P. C.

Les Reuters et les journaux vous ont déjà appris les douloureux événements de Nanking et vous ont donné bien des inquiétudes au sujet des PP. et des œuvres de la Mission. La grève de la Poste et ce qui s'est passé tous ces derniers temps à Shanghai m'ont empêché d'écrire plus vite à Rome. Hélas ! les détails que nous avons eus depuis, ont ajouté à la peine que nous avait causée à tous le télégramme inattendu annonçant la mort du P. Vanara et du P. Dugout « tués par les soldats sudistes », d'autant plus que le danger est devenu chaque jour plus grand pour tous nos Pères européens : c'est une vague de xénophobie et de haine contre la religion qui a gagné tout le sud de la Chine et monte vers les armées cantonnaises qui passent le fleuve pour attaquer les Nordistes.

La ville de Nanking a été prise par les Sudistes le 23 mars au soir. Le 24 au matin, prèsque à la même heure les vainqueurs, des Hunanais, ont attaqué les Consulats anglais, japonais, et autres éta-

blissements étrangers, en particulier le Standard-Oil où s'étaient réfugiés une partie des Européens. Vers 6 heures ils forçaient les portes de la Résidence ; le R. P. Verdier venait de finir sa Messe ; le P. Bureau l'avait dite dès 4 $^{1}/_{2}$ h.... Et sus les yeux des deux Pères, impuissants, fouillés et refouillés, menacés de mort 5 ou 6 fois, frappés de coups de crosse de fusil, menés par la maison où les pillards croyaient trouves des trésors, commença le pillage en grand de la maison, de l'église, des deux écoles, des dépendances, par les soldats, puis par la populace qui avait suivi, les soldats vendant à la foule le riz, la literie et tout ce qu'ils ne pouvaient pas emporter. Il ne reste plus que les 4 murs et le toit : tout a été enlevé, planchers, plafonds, escaliers ... et dans le jardin, légumes, fleurs, arbustes, etc. Le R. P. Verdier put sortir au bout de 2 heures, grâce à un soldat à qui il donna 20 piastres qu'on ne lui avait pas prises dans la poche intérieure de sa soutane. Accompagné de ce soldat il put sortir, se cacher dans une paillotte, le temps de prendre des habits chinois apportés par des Chrétiens, puis dans une maison plus sûre où il resta jusqu'à la nuit. A ce moment les Chrétiens le conduisirent dans une famille chrétienne où il put passer une nuit plus tranquille. C'est là qu'il fit venir aussi le P. Bureau qui, resté plus longtemps au milieu des soldats, avait pu enfin s'échapper et se cacher toute la journée. Le lendemain 25, le bateau français, l'*Alerte*, arrivait à Nanking, et le Commandant envoyait un Chrétien prendre des nouvelles des Pères. Le Chrétien aidé de notre procureur payen put entrer en communication avec un Officier sudiste et par lui obtenir du Général une automobile qui vers une heure amena les 2 PP. au bateau sous la garde d'un Officier et d'un soldat révolver au poing. Ils étaient sauvés, étonnés eux-mémes d'avoir pu échapper au danger et tout reconnaissant au bon Dieu, dont la paternelle Providence les avait si visiblement protégés. Ils avaient tout perdu ; mais là n'était pas leur peine : c'était la mort de deux Pères du Collège, dont ils avaient appris le massacre la veille, dans leur cachette.

Le 24 vers 9 heures, les Pères venaient de déjeûner après leur Messe ; ont vint leur dire que les soldats entraient. Le P. Vanara sortit de sa chambre, au rez-de-chaussé ; à peine sur le perron, un coup de révolver l'abat : un domestique le vit encore lever le bras, comme pour porter la main à la tête... La mort dut être prèsque instantanée. Le P. Dugout au bruit descendit de sa chambre, et sitôt aperçu, fut abattu à son tour. Eut-il la force de remonter ou quelqu'un l'aida-t-il à monter, on le trouva dans la journée étendu près de son lit. Un élève monta le voir ; le Père lui dit qu'il ne souffrait pas beaucoup et que s'il pouvait avoir un médecin, il pourrait guérir. Un domestique et l'élève allèrent prier la Croix-Rouge chinoise d'envoyer quelqu'un... On refusa de se déranger pour « cet étranger » et le pauvre Père resta seul, sans

soin, sans consolation, jusqu'à sa mort qui dut arriver vers les trois heures.

Le Frère André Tcheng qui avait pu aller et venir au milieu des soldats et des pillards, vint vers 10 heures, mais ne put entrer, car les soldats gardaient la porte. Il revint l'après-midi et trouva le corps du P. Vanara sur la pelouse devant le perron : il n'avait plus que la chemise et le caleçon ; la poitrine était toute couverte de sang. Il n'osa pas monter à l'étage à cause des soldats. Le lendemain 25, il revint dans la matinée ; la populace entrait et sortait emportant tout ce que les soldats avaient laissé. Il trouva le P. Dugout étendu sur le plancher, avec ses seuls vêtements de dessous, une blessure à la tête et une autre au ventre.

Le soir du 25, l'*Alerte*, ayant à bord les PP. Bureau et Verdier et une dame française, plus le F. Tcheng que le P. Verdier ne voulut pas laisser seul à Nanking, reçut l'ordre de rentrer à Shanghai. Avant le départ le P. Verdier avait obtenu de l'Officier sudiste la promesse qu'il s'occuperait de faire mettre en cercueil et enterrer les 2 Pères tués le 24 : et tous renseignements avaient été donnés à cette intention. Depuis nous avons su qu'il n'en fit rien. Ce sont les Chrétiens qui voyant que les cadavres restaient là dans la cours du tennis où on les avait traînés, achetèrent eux-mêmes les cercueils et les habits. Le 26 dans l'après-midi ils eurent l'idée de prendre une photographie. Les soldats s'en aperçurent et furieux les menacèrent de leurs révolvers et démandèrent du pétrole pour brûler les cadavres. Les Chrétiens s'enfuirent immédiatement et les porteurs payens, pour ne pas perdre la somme promise, se hâtèrent de jeter une couverture sur les Pères de fermer les cercueils et de sortir de l'enclos. Les soldats ne les poursuivirent pas, et ils purent porter les 2 cercueils au cimetière où reposent déjà plusieurs de nos Pères, et où les Chrétiens les enterrèrent en hâte. Ces détails ont été apportés par un domestique qui a assisté à l'enterrement et il a ajouté que le soldats avaient brulé la barbe et défiguré le visage du P. Vanara, cupé le nez du P. Dugout et commis sur son corps d'autres horreurs.

Les R. P. Verdier et le P. Bureau sont arrivés à Shanghai vers 4 heures. Le temoignage du P. Verdier est très net, confirmé par celui des Consuls et des réfugiés de Nanking : le coup était prémédité, préparé, voulu, et a été exécuté sur commandement, au coup de sifflet, conduit par les officiers de l'armée sudiste ; et il eut été plus horrible encore si les bateaux anglais et américains, prévenus par les signaux de détresse des réfugiés au « Standard-Oil », n'avaient pas fait un tir de barrage ; le bombardement dura une heure et demie, arrêta l'attaque des soldats, et donna le temps aux marins d'effectuer et de protéger le sauvetage et la fuite des malheureux prisonniers, parmi lesquels

beaucoup de femmes et de tout jeunes enfants. C'est que, — et c'est la seconde remarque du P. Verdier —, personne ne s'attendait à un pareil massacre. Tout le monde croyait à un pillage de la ville chinoise par les Nordistes vaincus et c'est ce qui arriva ; ils pillèrent copieusement les maisons chinoises pendant leur fuite, et ne touchèrent pas une seule maison européenne ; par ailleurs on avait la preuve qu'ils avaient ordre de ne pas entrer dans les résidences et les églises des Missionnaires. Quant aux soldats sudistes tout avaient foi en leur discipline et dans leur respect vis-à-vis des étrangers ; beaucoup avaient refusé de quitter Nanking ; le Consul d'Amérique lui-même avait gardé ses deux petits enfants. Or les Sudistes s'attaquèrent aux seuls étrangers, firent le siège en règle, aux mitrailleuses, grenades et fusils, des Consulats anglais, américains, japonais, et pillèrent toutes les maisons européennes sans toucher à une seule chinoise. On ne peut plus douter de leurs véritables intentions. L'imprévu et l'horreur de l'attentat ont ouvert les yeux de plus d'un.

Désormais la vie de nos Pères européens est en danger à l'intérieur, et le sera encore plus, si les alliés s'entendent pour exiger des réparations et si, comme on l'a craint plusieurs fois, ils sont obligés pour se défendre de tirer le canon à Shanghai.

A Shanghai et à Zi-ka-wei nous avons eu aussi bien des événements qui auraient pu devenir tragiques. Le P. Lefebvre a dû fermer l'Université, brusquement, le 21 mars. A Zi-ka-wei, ce même 21 mars, vers les 5 h. de l'après midi, 2000 soldats sudistes voulurent forcer l'entrée du village et s'installer dans nos maisons ; ils furent arrêtés par la présence d'esprit et le courage du lieutenant de vaisseau qui commande la défense de Zi-ka-wei, et de trois de ses marins. Il y eut fusillade pendant 5 minutes de la part des soldats ; les marins, armés pourtant, ne tirèrent pas, attendant l'ordre du lieutenant. Heureusement les soldats s'arrêtèrent, on ne sait pourquoi ... Les pourparlers reprirent et on put obtenir qu'ils resteraient en dehors du village. Il y eut le soir même et le lendemain bien des démarches pour qu'on leur permette le passage ... Le 22 vers 11 heures, ils quittèrent pour aller aider à l'attaque de Shanghai. Depuis ils sont revenus, ont fait encore des démarches ; mais les marins ont été renforcés et se sont fortifiés plus solidement.

La ville de Shanghai a été prise et occupée par les Sudistes le 22 dans l'après-midi. L'attaque avait commencé la veille vers 1 h. $^{1}/_{2}$.

L'Institution de la Ste. Famille des Mères Auxiliatrices se trouva tout le temps entre deux feux : ce fut une journée et une nuit terribles pour les Mères, les pensionnaires, les élèves externes rentrées pour la classe après leur dîner en famille, en tout plus de 300 personnes. On essaya tous les moyens de les secourir, le P. Noury auprès du consul

de France et de la police française, le P. Jacquinot près des autorités de la concession internationale ; il fut impossible de passer, jusqu'à ce que finit le combat. Le P. Jacquinot, qui attendait, put arriver à temps et aider les Mères à faire évacuer la maison, puis rentra à l'arrière garde, non sans danger, car un soldat ayant menacé de sa bayonnette une élève, il reçut le coup qui érafla son unique main, perça ses habits et lui fit une petite blessure au côté. Les jours qui suivirent la prise de Shanghai, il y eut beaucoup de rumeur, beaucoup d'inquiétude. A Zi-ka-wei on pensa à préparer l'évacuation sur Shanghai. Pourtant on tint bon jusqu'au samedi 26 ; les élèves au Collège et au Seng-mou-yeu (pensionnat de filles) ne voulaient pas quitter : les familles avaient confiance. Le coup de Nanking, et la menace de plus en plus formulée de l'attaque des concessions le dimanche 27, firent décider d'envoyer en congé tous les élèves ; les malades de Zi-ka-wei et du Seng-mou-yeu, furent conduits à l'hôpital ; et les mesures prises pour faire évacuer sur la concession, dès le dimanche matin, une partie des Pères de la Résidence, les Scolastiques, les Novices (en grande retraite !), les Séminaires, et tout le Sen-mou-yeu, sauf les bébés et les incurables et les Mères chargées des ouvroirs. Le Carmel avait quitté dès le jeudi, étant plus exposé. Le dimanche se passa non sans frayeur, mais sans gros incidents, grâce aux précautions prises sur les Concessions. Le lundi, les Séminaires et l'école normale rentrèrent à Zi-ka-wei ; le mardi, les Pères et les Scolastiques. Le Sen-mou-yeu à l'heure actuelle n'est pas encore rentré : l'évacuation serait trop difficile pour elles, si elle devait se faire brusquement. Les Pères européens de la paroisse chinoise de Tong-ka-dou sont aussi venus se réfugier à S. Joseph, au moins pour la nuit, étant plus exposés et n'ayant pas de marins, jusqu'à la veille du premier vendredi. Si le calme se maintient, les Pères des environs retourneront dans leurs districts pour passer les fêtes de la Semaine Sainte et de Pâques.

Les Filles de la Charité de la Maison centrale et de l'hôpital Ste Marie, se sont mises à notre disposition, elles et leurs établissements avec un dévouement admirable pour loger et entretenir le Carmel et le différentes communautés du Seng-mou-yeu. Du même les Dames du S. C. malgré l'exiguité de leur Maison. Cela a été une vraie consolation pour nous.

Les établissements de charité de M. Loh-pa-hong ont été jusqu'ici épargnés, on a seulement fait évacuer quelques Sœurs et les grandes orphelines, de même les PP. Salésiens et leurs orphelins. Il y a en ce moment menace de prendre le grand bâtiment destiné aux Salésiens. Par ailleurs, la Compagnie électrique dont M. Loh était le directeur, est entre les mains des ouvriers et des communistes : M. Loh a dû se

réfugier sur la Concession ; sa vie a été en danger. On l'a rejeté comme directeur ; il a dû donner sa démission ...

Si les Sudistes s'installent et deviennent les maîtres, notre ministère deviendra sinon impossible, du moins très difficile ; en particulier l'enseignement dans les écoles, les collèges et l'Université même, sera impossible, car nous ne pourrons accepter les conditions que le nouveau gouvernement veut imposer, et a déjà imposé à Canton. Les nouveaux règlements devaient commencer le 1er avril : Mgr. Fourquet, évêque de Canton, avait déjà décidé de fermer ses écoles si elles n'arrivaient pas à échapper à ces règlements.

D'ici là nous allons tout faire pour maintenir nos œuvres et nos écoles, en mettant en avant nos PP. et FF. Chinois : non sans inquiétudes cependant après ce qui s'est passé ailleurs. Au point de vue matériel, en plus des pertes causées par le pillage des résidences, églises, écoles, par les Sudistes et par la populace, comme à Nanking, Tchenkiang, Kiangyng, Ousi, Lili, Fongkieng, Lichoei ... et dans quantité d'autres chrétientés moins importantes, toutes nos propriétés sont menacées d'être confisquées : soldats et chefs, étudiants et ouvriers, autorités du nouveau régime, tous le disent clairement : ils veulent « reprendre » les biens des Missionnaires et les transformer en biens publics. Dans beaucoup d'endroits ils ont enlevé l'inscription « Eglise catholique » remplacée par « biens communs » ; et ils ont mis les scellés sur plusieurs églises. Nanking et Tchenkiang et les territoires chinois de Shanghai sont les plus menacés : ce sera la ruine de la Mission.

Le bon Dieu y pourvoira ; et ce ne sera pas la grande peine, mais bien la mort de nos Pères, la perte de tant d'œuvres qui paraissaient devoir donner leur plein résultat, et la difficulté sinon l'impossibilité de reprendre ou de continuer nos ministères, de travailler au salut de cette Chine que nous aimons tant.

Tous nos PP. souffrent beaucoup ; mais en général ils supportent l'épreuve vaillamment et avec grand surnaturel ...

Nous venions de fêter nos évêques chinois à leur retour de Rome, Mgr. Tsu en particulier : malgré les craintes, tous étaient à la joie et à l'espoir. En un instant, tout a changé et combien !

Nous avons grand besoin des prières des Votre Paternité et de toute la Compagnie ; surtout ceux qui sentent plus lourdement les responsabilités et leur impuissance.

. . . .

(Signé) : E. Beaucé S. J.

III.

DE NOSTRIS IN PARAQUARIAM REDEUNTIBUS.

Ineunte mense ianuario 1927, ut nuntiatum erat (1), Societas in Paraquariam tandem redire potuit. Anno superiore hunc reditum paraverant apostolicae quorumdam Nostrorum excursiones, de quibus in praecedenti *Memorabilium* volumine retulimus (2).

Quanta cum populi clerique laetitia excepti sint Nostri, quantaque adsit spes copiosi fructus ex novo campo colligendi, nullis verbis melius dici potest quam iis quibus primus Assumptionensis Residentiae Superior, P. Philippus Lérida (Prov. Argent.-Chil.), ad Patrem Nostrum referebat. En igitur integra eius epistola :

Assumptione in Paraquaria, 8 ianuarii 1927.

Admodum Reverende in Xto. Pater :
P. Xti.

Primas quas exarem litteras ex hac urbe, postquam ad ipsam Societas redux post 158 annos pervenerit, ad V. P. filiali animo mittam.

Iam ex nostro P. Provinciae Moderatore sciebat V. P. quo animo regressum nostrum in Paraquariensem regionem parabamus. Inter scholarum labores, quae ad novam domum erigendam necessaria videbantur, indefesso animo ex amicorum voluntate procuravimus.

Omnibus paratis, iter curru ferreo per quinquaginta et sex horas continuas sustinuimus, cum haec urbs a civitate Bonaerensi non minus quam 1500 Km. distet. Ratio itineris tam ad personas, quam ad sarcinas, ex caritate collectas, gratis omnino fuit, ex amicorum ferreum currum moderantium voluntate.

Die 4 ianuarii, hora 21, urbem Assumptionem ingressi sumus. Nos cum ingenti gaudio receperunt tum ecclesiastici tum civiles aliqui nobiles ; quos inter ad V. P. referre debeo Sacerdotem Moderatorem Ecclesiae Cathedralis, qui nomine Illmi. Episcopi Dioecesani, salutem dedit ; affuere etiam Rector Collegii Sancti Iosephi, ex Congr. Missionariorum Sacri Cordis a Betharram, Pater etiam e Salesianorum Familia ;

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 552.
(2) Cfr. *ibid.*

inter civiles, praeter amicos quosdam, illum non omittam, Doctorem Vincentium Rivarola, Reipublicae Senatorem, cum sua uxore: ii duo statim ad suam domum nos perducere enitebantur, sed in Collegio Sancti Iosephi, domo religiosa, noctem ducere elegi, ad quod senator ille suo curru automobili, nos perduxit. Ibi, fraterno amplexu, Patres nos receperunt, imo P. Rector, vir apprime spiritualis, et Societatis amantissimus, orationem habuit eucharisticam, vinumque obtulit symbolicum, magni faciens momentum illud quo Societas in Paraquaria restaurabatur. Postquam hospitibus gratias egimus et Sanctissimum Sacramentum invisimus, hora iam fere 23, nocturno conscientiae examini vacavimus.

Crastina die, primo mane, ad Illmo. Episcopo salutem dandam, nosque ipsi offerendos properamus; peramantissime sumus recepti, tam ab ipso quam a sua familia, facultates ad ministeria omnia ultro concessit. Alios quoque invisimus, inter quos Patres Missionis a Sancto Vincentio, quibus commissa est Seminarii cura; Ministrum Negotiorum Externorum et Rei Oeconomicae, Praesidem Collegii Deputatorum, virosque alios primates et amicos; tandem ad domum nobis commodo paratam venimus. Magnum sine dubio beneficium debemus clarissimae feminae Assumptioni M. da Bogarín, ipsiusque familiae, quae ultro nobis suam domum habitandam ad tempus obtulerat. Praedium est sat magnum, ad 24000 m^2. accedit, optimo loco in urbe posito, viridario et nemore circumdatum. Aula honoris in parvum sacellum publicum ad sacrum offerendum statim est accommodata. Non multis diebus post aliqualis populi copia tale sacellum adire coepit.

Mecum sunt alii duo Patres Fratresque duo, Patres scilicet Antonius Crespí et Eustachius Zurbitu, Fratres vero Modestus Farías et Leonardus Mühn. Vitam nostram regularem statim concertavimus et ad ministeria nostri Instituti iam accessimus. Exercitia spiritualia, conciones, confessiones, catechismi, parvis quidem principiis, coepta sunt. Conciones ad quadragesimam, ad mensem etiam Sacratissimi Cordis, utraeque bis in hebdomada, in Ecclesia Cathedrali oblatae et acceptatae sunt. Etiam ad alias regiones et nationes vocati sumus.

Paucis diebus post adventum nostrum, Reipublicae Praeses humanissime nos admisit, benevolam ostendit voluntatem, enixe rogavit ut quam primum puerorum educationem susciperemus, Collegio erecto. Sed hac de re multa consideranda veniunt...

Opportuna e contra nec sat difficilis videtur erectio Seminarii Minoris. Haec enim gens uberes offert vocationes aliis virorum et feminarum Congregationibus; non ergo sine fundamento, maxime ex amore in nostram Societatem, vocationes ad Institutum sperare licebit.

Tandem, nec difficile nec inopportunum erit Collegium aliquod pro pauperibus, quo primas litteras per laicos magistros pueri deceantur.

Haec sunt quae de novo Societatis ingressu in Paraquariam, regionem pristinae Societati dilectissimam, et de novo Nostrorum domicilio dicere visum est.

Ceterum, nobis gratissimum esset si benedictionem V. P. simul cum imagine photo expressa ad novam domum miserit. Simul amplissimam nobis consolationem afferret si benedictionem Summi Pontificis novae domus fundatoribus obtineret.

Commendo me SS. Sacrificiis.

Paternitatis Vestrae

Servus in Xto.

PHILIPPUS LÉRIDA S. I.

Desiderio Sociorum illius Residentiae statim a Patre Nostro factum est satis; Summus vero Pontifex ab eodem Patre Nostro rogatus Apostolicam Benedictionem " peramanter in Domino „ mittere dignatus est, prout Sua Ipse manu declaravit petitioni subscribens in hunc modum:

Beatissime Pater,

Patres Fratresque Societatis Iesu, post 158 annos denuo in Paraquaria sedem figentes ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, Apostolicam Benedictionem humiliter implorant.

Ex Aedibus Vaticanis
die 13 aprilis 1927.

PIUS PP. XI
peramanter in Dño.

IV.

DE NOVA SERMOCINANDI RATIONE.

Mirabile illud recens inventum, quod *radiophonium* vocant, ut de modernis scientiae investigationibus bene multis evenit, ad bonos non minus quam ad malos usus aptissimum esse potest.

Radiophonium in Russia.

Ad malos quidem usus in Russia, verbi gratia, latissime adhibetur. Sovietistae, quos dicunt, telephonio et telegrapho sine filo tamquam validissimo, tutissimo et amplissimo instrumento ad sua principia seditiosa et inhonesta spargenda utuntur. Est natio maius centrum harum transmissionum possidens. Dominus K. Krassilnikov huius operis magister scripsit: " Leninius nobis commisit officium ephemeridis creandae *sine charta et sine distantia loci* „.

Comitatus ad id instituerunt nec tantum intra fines suae reipublicae, sed et stationes habent in aliis Europae, Asiae et Africae nationibus. Has tenent personae quandoque privatae, privatis in aedibus, vel in publicis diversoriis (*Hôtels*), et leges regionis eludere sciunt. Ita illi universum sibi obligare contendunt et cum dies advenerit omnia per aerem submovere sibi proponunt. Sed antea constituerunt animos et ideas et mores pervertere: haec enim via sunt ad illa. In quo facinore Iudaei multam, si non praecipuam partem habent. Multum ad id confert ignorantia populi: multum tenebrae et absens pudor et is qui possit arguere. Hanc ipsi vocant " suam periodum praeparatoriam „ ad universalem subversionem (1).

Sermones radio transmissi.

Ne filii tenebrarum filiis lucis prudentiores semper esse viderentur, studuerunt ubique Catholici ut *radiophonium* innocuum primum, deinde etiam cuique bonae causae utile foret.

(1) Cfr. *Documentation Catholique*, tom. XVII, col. 665–666, 12 mart. 1927.

Nil igitur mirum quod iam inde ab initio hoc vocis transmittendae instrumento uti coeperint etiam Evangelii praecones, praesertim in America, ubi sacerdotes Paulistae Neo Eboraci (New York) potentem stationem telephonii sine filo (*T. S. F.* scribunt) anno 1925 instituerunt, unde musicam sacram, conferentias et catholicas emittunt sermocinationes. Protestantes vero vix non omnem cultum divinum, festis diebus ita publicum faciunt. — Nostri autem, cum alibi tum potissimum in urbe S. Ludovici (Prov. Missour.), hanc instruendi populi rationem magno cum fructu ab anno 1924 inierunt.

In Anglia, catholici concionatores quidam in ea re vel superant protestantes, vel aequant. In Helvetia, curio Lausannensis catholicus plus decies centena millia auditorum radio alloquitur. Friburgi quoque ac Tiguri (Zürig) fere idem factum est. In Gallia, anno elapso, undae istae arcanae sermones nostrorum PP. Marci Dubruel et Pauli Coulet (Prov. Tolos.) ex aede maxima Tolosana educebant et ubique respergebant. Hoc ipso anno, conferentiae, quas idem P. Paulus Coulet in metropolitano templo Burdigalensi (Bordeaux) habebat pro viris, radiophonio transmittebantur. Huius specimen primum extra templa, ex aliquo " studio „ ut dicunt, factum est in Gallia a P. Augustino Goupil (Prov. Franc.). Etiam P. Remigius Vilariño (Prov. Castell.) in Hispania eiusmodi sermones habuit, itemque oratiunculae pueris aptae quinta quaque feria a Nostris ibidem datae sunt.

Nuper accepimus P. Franciscum Vallet (Prov. Arag.), qui opus Exercitiorum in universa Catalaunia dirigit, radio ad hoc etiam opus usum esse. De qua re tota, propter summum eius momentum et exemplum, in proximo fasciculo, iuxta diligentissimam relationem nobis missam, sumus locuturi.

Quanti autem fiat haec nova sermocinandi ratio ab Ecclesiae Pastoribus immo et a fidelibus quibuslibet haec testimonia manifestabunt:

RR. DD. Ioannes Glennon, Archiepiscopus S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae, cum in ea nostra Universitate nova statio *T. S. F.* inauguraretur, de momento et rei utilitate disseruit: tum Societatis virorum catholicorum Praeses memoratam stationem (1.000 watts potentiae) eidem Universitati dono consignavit.

Item RR. DD. Eduardus Io. O'Dea Seattlensis Episcopus (in eisdem Statibus) cum in sua urbe sacerdotes Paulistae sa-

cram missionem, quam tria hominum millia frequentabant, radii ope triplicassent (nam eorum sermo ad alia sex hominum millia in Statibus Oregon, Washington, Columbia Britannica radio pervenit), rei tantae atque improvisae admiratione affectus, eandem verbis amplissimis prosecutus est.

Dominus Schelley, Praefectus classis, hos eosdem sermones ad octingenta millia passuum, cum esset in Oceano Pacifico, se audivisse testatus est.

Radio-sermones Patris Lhande.

Ineunte hoc anno 1927, novum quid tentatum est Parisiis, novum saltem pro Europaeis regionibus. Non iam enim radio transmittuntur solum sermones qui in templis habeantur, sed etiam statis diebus et horis sermones sacri habentur pro solis radio utentibus, secundum conventionem initam inter Card. Ludovicum Dubois Archiepiscopum Parisiensem, et stationem *T. S. F.* in eadem urbe. Has conciones praecedit et sequitur aliquis musices religiosae tractus, quo animi audientium disponantur bonasque impressiones retineant: nec enim licet miscere sacra profanis, quod omnia pessumdaret. Huic peculiari dicendi modo initium fecit P. Petrus Lhande (Prov. Tolos.), unus e redactoribus periodici " *Etudes* ", die 2 ianuarii, quo die de novo anno christiane inchoando verba fecit; proximo die dominico sermo fuit de Epiphania Domini, tertio vero de S. Genovefa Lutetiae Parisiorum Patrona. — Post aliquot hebdomadas, quibus eadem ratione radio locuti sunt alii sacri concionatores, idem P. Lhande " auditorium *T. S. F.* " (ita appellant locum quo orator assidet) rursus petiit, singulis Quadragesimae dominicis invisibilem eamque innumeram suorum auditorum multitudinem allocuturus.

Cum de nova ista quadragesimali praedicatione copiosiora nobis allata sint documenta, Nostris non ingratum fore speramus, si quaedam ex illis delibemus.

Septem quadragesimalium sermonum haec erant argumenta:

1) " Si scires " donum Dei (Io. IV, 10). – 2) " Et quis est Dominus ut credam in Eum ? " (Io. IX, 36). - 3) " Remittuntur ei peccata multa " (Luc. VII, 47). – 4) " Hunc angariaverunt ut tolleret crucem Eius ", (Matt. XXVII, 32). – 5) " Hodie mecum eris in Paradiso " (Luc. XXIII, 43). – 6) " Vere Filius Dei erat iste" (Luc. XXIII, 47). – 7) " Ite, docete omnes gentes " (Matt. XXIII, 19).

Tot autem fuere petitiones eorum, qui suis oculis relegere volebant quae tanto cum solatio audierant, ut Pater post Pascha hos sermones typis edere vix non coactus sit.

Gravitas, ait ipse P. Lhande, debet esse character huius novi generis dicendi, minime autem ostentatio litteraria, aut spiritus mundanus. — Et sane latet hic nova forma apostolatus eo maior et fructuosior quo celebrior audientium multitudo; eo prudentior et cautior quo incertior animorum status; eo efficacior quo loco remotiores et a fide forsan longinquiores attingit. Ita cum Pater sermonem signo crucis auspicaretur et clauderet, eodem signo se munire domi quisque suae videri potuissent, quotquot auditorio apparatui aderant, etiam ii qui alias numquam fecissent. Huiusmodi mirabilis inventio verbo Dei novum profecto, eumque extensum campum patefacit.

Gratulationes et fructus.

Quam opportuna sit haec sermocinandi methodus, hinc vel solum apparet quod intimo plurimorum desiderio et spirituali necessitati respondere videatur. Ex innumeris Patri Lhande allatis gratulationibus cernitur quoque quam magnus animarum fructus inde percipi possit.

Iure igitur E.mus Card. Parisiensis Archiepiscopus, cui potissimum debetur felix huius praedicationis initium, cum, novo oriente anno 1927, votis sibi a clero Parisiensi factis respoderet, haec in nostrum argumentum verba laetabundus intermiscuit; " Et radiophonia! Potenti apostolatus medio puto nos obversari. Multi, heri, fausta R. P. Lhande in novum annum audire potuerunt: auguria per magnam Parisiorum urbem, per orbem universum repansa „ (1).

Etiam Pater Noster Patri Lhande gratulari voluit, die 6 februarii in haec verba ei scribens: " Magno cum gaudio intellexi quomodo Dominus noster suis benedictionibus tuum zelum prosequatur. Tuis meas gratiarum actiones iungo. Nam revera afflatus qui nunc temporis animas pervadit Sancti Spiritus est: ille est qui eas verbi Dei desiderio tam ardenti donat; ille qui sapientibus mira suppetit inventa, quibus ipse utitur ad se mundo revelandum; ille qui te ad consilia misericordiae suae instru-

(1) Cfr. *Semaine Religieuse de Paris,* 8 ian. 1927, pag. 61.

mentum exhibere dignatur. Quomodo ergo debes, dilecte Pater, illi demisse et iucunde gratus exsistere! „

Excerpta ex epistolis gratulatoriis.

Plurimi etiam ex incognitis auditoribus incognito concionatori suum gaudium et spirituale emolumentum patefacere voluerunt (1). Hae gratulatoriae epistolae, praesertim Quadragesima ad finem vergente, innumerae fuerunt, e quibus perpauca excerpta referimus latine reddita, reticitis, ut par est, personarum nominibus, et solum loco indicato.

Ex Gallia:

Marseille. — " Gaudio ploravi tuum audiens sermonem. Hoc erat in votis, et somnium meum; tandem! Laudetur Deus! Quae consolatio populi! Quale gaudium piis postulantibus " Adveniat regnum tuum! „

Jura. — " Calamitate temporum e dulci solo Lugdunensi erepti et inter nives altissimi Iurae collocati, in algenti solo numquam pulcri sermones, numquam solemnes ritus animum nostrum reficiebant, et oves super aridas has rupes siti deficiebamus. O mi Pater, si vidisses qua laetitia, qua luce vultus mei familiares radiabant dum, tabulam familiae circumsidentes, verubm Dei, per spatia immensa transmissum, audirent! Quale exulibus solamen! Mi Pater, si hoc inventum quamplurimis animabus hominum derelictorum, segregatorum, a societate quomodocumque seiunctorum, gaudium et pacem christianam allaturum est, certe dici debet donum *divinum!* Haec habui dicere, Reverende Pater. Siquidem iucundum tibi fiet cogitare ad huius arcani fili capite familiae integrae, saepe numerosae, pendere; quae pie et attente, cum omni spe, verbum bonum, nuntium divinum, suscipient, tecumque signo se munient sacro pronuntiantes: In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen. T. S. F. est donum divinum „.

Sequuntur salutationes et septem subscriptiones: una eminet, nam est infantis quatuor annos nati.

Lassalle. — " Tandem aliquando unum ex meis votis impletum est, et radio verbum Dei intelligo! Nos qui huic rei operam damus bestiae secus fimus, et quibus ponderibus demergimur! Rogo te ne nos destituas nec feris animas derelinquas. Si sacrificia ad opus prosequendum requirantur, faciemus. Consociationem, subscriptionem, contributum, argentum quacumque ratione placuerit nos reposcas, modo rem tantam vel prosequaris, vel prosequendam cures. "

(1) Cfr. libellus, cui titulus: R. P. Pierre Lhande S. J. *redacteur aux Etudes — Radio-Carême (1927)*: " *La Lumière du monde* „ — Editions Spes — 17, Rue Soufflot, Paris.

Pierrefitte (*Loire*) — " Iam uadragesimum annum decumbo: verbum Dei audire iam mea voluptas fuit: Benedicta paterna tua sollicitudo quae videtur meum studium divinasse Eminentissimi Cardinalis Dubois et tui gratia, in posterum, verba quae omni Christiano at praecipue aegroto " spiritus et vita sunt „ et viaticum, videbor mihi e suggestu suscipere „.

Indre. — " Iam quadragesimum annum agebam in voluptatibus humanis, Dei oblitus. Intellexi... cogitavi,.. cor vulneratum, cani capilli... oculos levavi in me reversus... demisse ad sacram Mensam accessi! Nunc ad te iterum audiendum convolo, o mi Pater, o dux, o apostole; quale mihi bonum ex verbis tuis inspiratis! „

Solesmes. — " Tuus primus sermo quadragesimalis auditus est hic a 25 personis, quot numerat familia nostra: omnes in silentio!... etiam pueruli pendebant animis!... Quot millia erimus qui immensis spatiis, crucis signo simul munimur!... Sermocinationes: es tuae fide sunt plenae... multos incredulos percellent... eos qui aedem sacram refugiunt attingent... „.

Caen. — " Quam iucundum, dominico quoque die, cum familia, adstantibus quoque amicis, ad *auditorium* sermones tuos audire... sinceritate plenos, facilesque captu etiam indoctis!... „

Cognac. — " Professorum nomine, alumnorum et officialium huius scholae normalis, ac meo, gratias ago de tuis *radio-sermonibus*... Ecclesiae non desistimus benedicere quae temporum inventa ad caritatem Christi, qua urgetur, convertit, sicque suorum et omnium, etiam a se aversorum, bono consulit... „

Vichy. — " Sermo tuus apostolicus Missionarios et amicos devinxit. Omnibus interveniendi facultas data: frequentes aderant... etiam exteri. Revera hic quoque sermocinationes quadragesimales habuisti, nec est falsum dicere: Iesuita universae Galliae T. S. F. sermocinatus est! „

Ex Belgio:

" ... In Belgio, ut alibi, sermones tuos degustant: consilia tua sequuntur. Quam suavis, heri, in Parasceve, hora sancta, quam es commentatus!... „

" Nec imaginari potest bonum quod fratribus longinquis suppeditas. Auditus cupidissime es a quodam coetu machinatorum Belgarum ad opera metalli: homines hi opinionum omnium: et tamen vel seorsim vel iunctim te audiebant... „.

Louvain. — " Radio-sermonem tuum primum audivi. En quod catholicis deerat!.. Nam invidia laborabam, semper ad radium protestantes audiens, nunquam vero catholicos. Nos... in Belgio eo melius audivimus, quo lentius et articulatius pronunciabas. Scripturus olim eram de hac re ad magnum nostrum Cardinalem etc.... „.

Anvers. — " Meus frater (qui religionem non exercebat) et ego soli... anhelitum detinebamus ne verbum perderemus. Iam in elevatione Sacri, mane pro eo et pro R. V. oraveram, et Dei misericordiam, hac nova via oves deperditas

quaerentis, mirata eram. Igitur prius curiosi, deinde attenti, postremo commoti auscultabamus. Cum ecce, momento temporis, fratrem cerno manu lacrimas a rubris oculis ter etemi O Dei misericordia!... „.

Malines. — "Intime omnes commovebamur ab ista voce aerea unda devecta: omnes oculis lacrimantibus eramus: mea uxore, meisque filiis saepiebar graviter sermonis finem tulimus... „.

Ex Helvetia:

Berne. — "Cum essem die dominico Lausannae apud patrem meum, de tua religiosa sermocinatione in familia gavisi sumus. Omnium meorum sum interpres et studium nostrum erga has sermocinationes testor. Hoc eo magis tibi iucundum, immo mirum erit cum resciveris nos protestantes esse: pater meus pastor est cum titulo in hac cathedrali. Credas nihilominus gratis sensibus nostris et fraternas salutationes accipias... Gaudium fuit pro me ac familia mea... Temporis momento definito ad "radium „ audituri consistebamus... Nitidissime audivimus, ne una quidem syl laba effugit... „.

Ex Germania:

Bas-Rhin. — "Liceat familiae rhenanae suum tibi gaudium promere. Omnia intelleximaus... deerat tantum gestus. Turma familiaris devotissima erat et aliqui ex nobis convalescentes ex hispanica lue, nec in templum valentes se conferre cum laetitia ex te verbum Dei audierunt „.

Salzbach (*Sarre*). — "Volo te certiorem facere de bono quod populus omnis huius regionis Sarre tuis radio-sermonibus accepto refert... „.

Ex Algeria:

Oran. — "In Algeria te perfecte audivimus: ne verbum quidem pulcrae allocutionis nos praeteriit. Familia integra ad mensam assidebat: adstabat etiam nostri vici Reverendiss. Parochus religiose aurem et ipse praebens et admirans... „.

Conclusio.

Quidam huic concionandi rationi aptant illa: "Praedicate super tecta „; alii memorant sermonem "in monte „: hi eius quam dicunt "universalitatem „ extollunt; illi "necessitatem „ eiusdem inculcant, ne medium in se bonum malis tantum et ad malum inserviat. Sunt qui dicant in argumentis apologeticis et discussis, atque in nationibus religionis mixtae opportunius adhiberi. Quidam in ea re periculum vident pro liturgia, officiisque divinis ac muniis ecclesiasticis. Verum hoc definire ac metiri competentis erit auctoritatis. Ut difficultatibus occurratur iuvant verba P.

Lhande (in praefatione memorati opusculi): " Radio-sermo, inquit, est sermocinatio religiosa brevis, viva, aptata, magis dicta quam declamata, hora apta emissa ad domesticum larem „. " In templis et sacellis (subdit idem Pater) cautum est ut hae *auditiones* ab omni divino officio seiungerentur, nec cum aliquo cultus instrumento, v. g. suggestu, candelis, organo, cantu, miscerentur „. Ceterum ne nos turbent incognita. Deus opportune omnino mirum hoc novi apostolatus instrumentum suppeditat: quidni, Ipso duce, eo utemur in salutem animarum, et ad dilatandam de die in diem usque ad extremum terrae maiorem eius gloriam ?

V.

CURA IAPONENSIUM EMIGRANTIUM NOSTRIS DEMANDATA.

Em.us Card. Petrus Gasparri, a secretis Status, litteris die 31 dicembris 1925 ad Patrem Nostrum datis, rogabat ut Societas Iaponensium in Americam latinam et Philippinas insulas migrantium curam interiorem et, quantum fieri posset, exteriorem quoque susciperet. Quibus Sanctae Sedis votis satisfaciens idem Pater Noster statim ad Provinciales et Superiores earum regionum scripsit ut de re investigarent.

Summa relationum quas rescripserunt haec fuit:

In Brasilia fere quinquaginta millia Iaponensium inveniri. Horum decem millia sunt in dioecesi Sanctensi (Santos); pauci in urbe S. Pauli et vicinia: reliqui omnes in dioecesi Botucatuensi (Botucatù). In insulis Philippinis adesse plus quam octo millia Iaponum. In Argentina mille, in Chile quingenti sunt. In Peruvia tandem quindecim millia sunt.

Iam vero P. Guido del Toro (Vicepr. Bras. Centr.) in urbe São Paulo in Brasilia iuniores Iapones doctrina christiana instruit: mense novembri 1926, eorum quinguaginta adolescentes Bapti-

smo lustrandos curavit, quos mense insequenti Corpore Christi primum refecit (1).

Inter eos erat etiam adultus, quem Pater suis ipse manibus sacramento regenerationis voluit abluere, bene auspicatum nomen " Paulum Miki „ ei imponens.

Mense vero februario huius anni idem Pater alios quinquaginta Iaponenses ad baptismum adduxit.

In toto hoc opere elucet divina Bonitas, innocentiae et precibus puerorum propitia. Nam puella quaedam 14 annos nata, vix ut baptizata est, cogitavit de pueris Iaponensibus adducendis: cum Patre Del Toro locuta, de facto adduxit. Quos Pater benigne excipiens, cum iam pluries eos allocutus esset, ecce quodam die omnes evanuisse comperit. Cur? Protestantes eos omnes surripuerant ac redha automobili in suum templum intruserant. Sed alia puella sola ac sponte eo se contulit, ingressa est, obiurgavit, peroravit ac miro plane modo pueros omnes per mediam urbem incolumes ad Patrem qui eos expectabat reducit. Porro haec puella pertinet ad " Cruciatam Eucharisticam „ quam vocant, cui praeest ipse P. Del Toro, qui puerulis istis cooperatoribus tribuit quod Deus tantopere suis his laboribus faveat.

Difficultates praecipuas movent, ut diximus, Protestantes. Hi e Statibus Foederatis miserunt pastores, et ipsos origine Iaponenses, ut contribules suos pervertant. Talium pastorum unus convictum pro iuventute iaponica tenet, unde eam ad Methodistarum scholas mittit. Cum obtinuisset P. Del Toro ut quatuor catholicae magistrae religionem in schola iaponica docerent, Director, protestans Iaponensis, obstitit atque omnino prius vetuit: verum, conventus a Patre, postea permisit.

Est utique in dioecesi Botucatuensi sacerdos quidam catholicus Iaponensis, nomine Nakamura, in rem ab eo Episcopo vocatus et noster olim alumnus. Hic fervidus et pius omnem operam suam impendit. Sed aetas provecta, locorum distantia, laborum multitudo quantum eum obruit! Quantum porro remanet faciendum!

Quoad Iaponenses in Peruvia morantes P. Iosephus Pineda (Prov. Tolet.) ipsorum curam habet visitans eos, et qualibet hebdomada pueros in Collegio, quod colonia iaponica tenet, religione

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 556.

instruens. Ex 117 alumnis 30 sunt Christiani (aliqui neophyti); 40 Baptismum percupiunt. Haec pro Iaponibus: plura sunt quae idem Pater, adiutus a P. Ioanne Albacete (Prov. Tolet.), pro salute emigrantium ibidem, Limae videlicet, exercet.

Manilae, in Philippinis, P. Marcus Mac Neal (Prov. Maryl.-N. E.), qui linguae iaponicae notitiam habet, doctrinam christianam docendo, hoc idem salutis opus suscepit ac promovet.

In Iaponia ipsa P. Hermannus Heuvers (Prov. Germ. Inf.) cum publicis administratoribus et societate quae emigrantibus praeest, in ipsa urbe Tokyo, de hoc negotio feliciter egit, eosque homines benevolos invenit, et ad opus inclinavit. Paravit libellum iaponicum in quo emigrantes religione catholica informat ita ut hi, cum appulerint in Brasiliam, baptismo proludant. Locus unde solvunt est Kobe et primae istorum profectioni (februario 1927) affuit: conferentiam ad eosdem emigrantes habuit in auditorio " Consociationis Iaponico-Brasiliensis „ ibidem de hac re constitutae.

Sed desiderantur et expetuntur Missionarii ad hoc munus unice destinati, qui lingua, institutis, moribus iaponicis instructi, huic genti accepti ac probati- eius sint patres ac servatores. Ita certe Protestantes suos lupos, iaponenses ipsos, inter confratres eorum immittunt, qui iam multas animas, pueriles in primis, devorarunt.

VI.

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS

PRIMO SEMESTRI ANNI 1927.

S. Franciscus Xaverius:

1 apr. 1927. — Sacra Rituum Congregatio Patri Nostro potestatem facit communicandi etiam cum Sacerdotibus saecularibus facultatem, anno superiore nobis concessam (1), benedicendi aquam S. Francisci Xaverii; quae potestas ex ipsius Sacrae Congregationis decreto idem Pater Noster Provincialibus aliisque Superioribus maioribus subdelegare potest et reapse subdelegavit suis litteris die 25 aprilis datis.

S. Petrus Canisius:

1 febr. 1927. — Per Breve Apostolicum conceditur in perpetuum indulgentia plenaria sub consuetis conditionibus quotannis lucranda omnibus nostras ecclesias visitantibus die festo S. Petri Canisii Confessoris et Ecclesiae Doctoris.

S. Aloisius Gonzaga:

23 mart. 1927. — Peculiares favores liturgici per Sacrae Rituum Congregationis Rescriptum conceduntur pro die festo S. Aloisii hoc anno centenario; quod Rescriptum cum tota Societate tempestive communicatum est.

Sollemnitates centenariae cum anno superiore tum hoc anno ubique habitae alibi recensentur (2).

B. Robertus Bellarmino:

10 maii 1927. — In templo S. Ignatii in Urbe sacrum Beati Cardinalis corpus a sacello S. Aloisii, ubi interim colebatur, compluribus Nostris (Patre Nostro praeeunte) et Universitatis Gregorianae alumnis comitantibus, pia pompa ad contiguum sacellum S. Ioa-

(1) Cfr. *Acta Rom.* vol. V, 1926, pp. 409-410, 532.

(2) V. supra, pag. 5-9; cfr. etiam *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pp. 528-529, 537-549.

chim deducitur, cuius sub altare fixam eamque perbelle aptam sedem invenit.

19 maii. — Ad novam Beati Cardinalis aram in templo S. Ignatii conveniunt plurimi parochialium catechismi scholarum alumni cum suis magistris et nonnullis parochis votivam lampadem oblaturi: post Missam a RR. D. Francisco Pascucci, Vicariatus Urbis Secretario et Operis Catechistici in Urbe Praeside, celebratam, argenteam lampadem ad sancti Urbis Catechistae sepulcrum appendunt perpetuoque accensam fore edicunt, grati animi et inextinguibilis fidei testimonium.

BB. Martyres Albenacenses:

25 ian. 1927. — In Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum actum est de Officio et Missa in festo BB. Iacobi Salesii et Gulielmi Saltamochii die 7 februarii quotannis adhibendis; et die sequenti, 26 ianuarii, a Summo Pontifice approbata sunt.

BB. Martyres Parisienses anni 1792:

25 ian. 1927. — In Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum actum est de concessione Officii et Missae in festo BB. Iacobi Bonnaud, Gulielmi Delfaud, Alexandri Lanfant et viginti Sociorum Martyrum Parisiensium, Societatis Iesu iam sodalium, anno 1792 in odium fidei necatorum; et die sequenti, 26 ianuarii, a Summo Pontifice approbata sunt.

Non ingratum erit Nostris scire qua ratione et quibus de causis tres ex his Beatis nominatim proponantur colendi, et cur in Gallia eorum festum non die 4 septembris, prout in reliqua Societate, sed die 2 peragatur: quae omnia ipse *Supplex Libellus*, quem Causae Advocatus ad Emum. Card. S. R. C. Praefectum detulit et hic transcribimus, abunde explicat.

SUPPLEX LIBELLUS.

E.me ac Rev.me Domine,

Cum nuper centum nonaginta unius Martyrum Parisiensium nobilissima caterva Beatorum honoribus cumularetur, non catholica Gallia solum, cuius dioeceses bene multae novensilium Beatorum gloria circumfundebantur, sed et complures Religiosorum familiae ingenti gaudio afficiebantur, quippe quae quorumdam etiam suorum sodalium coronis laetarentur. Quas inter Societas Iesu peculiari gestit exsultatione ob suos viginti tres iam sodales, quos suorum Beatorum Martyrum praeclaro ma-

nipulo adiectos cernit. Et sane, hi viginti tres Sacerdotes (quos Litterae Apostolicae « *Teterrima* » iure appellant « Societatis Iesu iam sodales »), licet a Societate, tunc temporis dispersa, violenter avulsi, Ignatiano tamen spiritu semper imbuti, ad finem usque vitae suae strenue et impigre, iuxta pristinae vocationis suae rationem, ad maiorem Dei gloriam comparandam decertarunt, uti et documenta et ipsa eorum mors clare ostendunt.

Nomina autem eorum, prout in memoratis Litteris Apostolicis inveniuntur eodemque ordine quo ibi recensentur, haec sunt:

In Coenobio Carmelitarum necati:

1. (VII) *Franciscus Balmain*, in dioecesi Nivernensi ortus, iam Societatis Iesu sodalis, Parisiis degens.

2. (XIV) *Carolus Ieremias Béraud du Pérou*, in dioecesi Rupellensi ortus, Societatis Iesu iam sodalis, postea Eudista.

3. (XVI) *Iacobus Iulius Bonnaud*, in archidioecesi S. Dominici ortus Societatis Iesu iam sodalis, Vicarius Generalis Lugdunensis.

4. (XXII) *Claudius Cayx-Dumas*, e dioecesi Cadurcensi, Societatis Iesu iam sodalis, Ursulinarum Virginum ad Sancti Claudii Versaliensi in dioecesi moderator.

5. (XXIII) *Ioannes Charton de Millou*, Lugduni natus, iam Societatis Iesu alumnus, religiosarum a SSmo Sacramento Parisiis confessarius.

6. (XXXI) *Gulielmus Antonius Delfaud*, iam Societatis Iesu sodalis, Archipresbyter in dioecesi Petrocoricensi.

7. (XXXIX) *Claudius Franciscus Gagnières des Granges*, Cameberiensi in archidioecesi ortus, iam Societatis Iesu sodalis, presbyter domus Sancti Francisci Salesii apud Lutetiam Parisiorum.

8. (XLVIII) *Carolus Franciscus Le Gué*, Rhedonensis archidioecesis, Societatis Iesu iam sodalis, Parisiis concionator.

9. (LV) *Claudius Antonius Rodulphus Laporte*, e dioecesi Corisopitensi, Societatis Iesu iam sodalis, vicarius ad Sancti Ludovici in oppido Brest.

10. (LXXXVI) *Vincentius Iosephus Le Rousseau*, e dioecesi Corisopitensi, iam sodalis Societatis Iesu, moderator a confessionibus sanctimonialium a Visitatione Parisiis.

11. (XLI) *Lupus Thomas*, appellatus *Bonnotte*, iam Societatis Iesu sodalis, in dioecesi Nivernensi natus, Ursulinarum Parisiensium confessarius.

12. (XCIII) *Mathurinus Nicolaus de la Villecrohain Le Bous de Villeneuve*, in archidioecesi Rhedonensi natus, Societatis Iesu iam sodalis, Monialium a Calvario Parisiis moderator.

13. (XCIV) *Franciscus Vareilhe-Duteil*, in dioecesi Lemovicensi natus, iam sodalis Societatis Iesu, degens in pia domo S. Francisci Salesi loci « Issy » penes Lutetiam Parisiorum.

14. (XCV) *Iacobus Friteyre-Durvé*, in dioecesi Claromontensi natus, iam sodalis Societatis Iesu, Missionarius Parisiis degens.

In Seminario S. Firmini mactati:

15. (II) *Renatus Maria Andrieux*, Rhedonensis, iam sodalis Societatis Iesu, superior communitatis ad S. Nicolai du Chardonnet, Parisiis.

16. (IX) *Ioannes Franciscus Maria Benoît*, dictus *Vourlat*, Lugdunensis ortu, iam Societatis Iesu sodalis, moderator spiritualis sanctimonialium a perpetua Adoratione SS.mi Sacramenti.

17. (XXXVII) *Petrus Michael Guérin du Rocher*, Societatis Iesu iam sodalis, in dioecesi Sagiensi ortus, moderator domus nuper ad Catholicam fidem conversorum, Parisiis.

18. (XXXIII) *Robertus Franciscus Guérin du Rocher*, supradicti Petri Michaelis frater, iam Societatis Iesu sodalis, Parisiis degens.

19. (XLII) *Eligius Herque du Roule*, e Lugdunensi archidioecesi, iam Societatis Iesu sodalis, nosocomii a Pietate nuncupati Parisiis cappellanus.

20. (LXVIII) *Ioannes Antonius Seconds*, Ruthenensi in dioecesi natus, iam sodalis Societatis Iesu, Parisiis in nosocomio Pietatis a sacris.

21. (LXXI) *Nicolaus Maria Verron*, e dioecesi Corisopitensi, iam sodalis Societatis Iesu, Religiosarum mulierum a Sancta Aura, Parisiis, spiritualis moderator.

In carcere Abbatiae Sancti Germani interemptus:

22. (XIII) *Anna Alexander Maria Lanfant*, natus Lugduni, iam Societatis Iesu sodalis, concionator sacer, Parisiis.

In carcere appellato « La force » interfectus:

23. (III) *Franciscus Hyacinthus Le Livec de Trésurin*, natus in dioecesi Corisopitensi, Societatis Iesu iam sodalis, a sacris Filiarum Calvarii Parisiis.

Statim ac a SS. DD. N. Pio Papa XI praedicti Martyres una cum aliis centum sexaginta octo die 17 octobris nuper elapsi Beatorum coelitum honoribus sunt cumulati, universa Societas Iesu vehementer exoptare coepit ut quotannis peculiari Officio et Missa de iis festum agere sibi liceret. Quae vota Revm̃us Procurator Generalis eiusdem Societatis complectens, ad S. Rituum Congregationem supplices de hac re preces porrexit, addito etiam Officii et Missae schemate, quod, iam a speciali liturgica Commissione aliisque ad quos pertinebat revisum, RR. DD. Fidei Promotor Generalis ut in folio ponatur iussit. Orator vero humiliter postulat ut hae preces benigne excipiantur et adnexum Officii et Missae schema adprobetur.

Ad diem quod attinet, cum omnes quidem novensiles Beati initio mensis septembris 1792 necati sint, sed non omnes eodem die, rogat Orator ut festum assignetur diei 4 septembris, qui liber est in Kalendario tam universali quam proprio Societatis Iesu, potius quam die 2, ne festum S. Stephani Regis Hungariae in universa Societate in perpetuum simplex fiat; attamen, quoniam in dioecesibus Galliae hoc festum

celebrabitur die 2 septembris (quo die necati sunt tres Beati Praesules Ioannes Maria du Lau, Franciscus Iosephus et Petrus Ludovicus de la Rochefaucauld), ad uniformitatem cum clero saeculari servandam petit Orator ut in regularibus Provinciis totius Galliae etiam a Societatis alumnis, pro die 4 septembris, hoc eodem die 2 septembris hi Martyres recolantur.

De schemate autem Officii haec adnotasse sufficiat: Tres Beati qui seliguntur ut nominatim recolantur, hi sunt qui prae ceteris aut dignitate aut dotibus eminebant: nam B. Iacobus Bonnaud erat Vicarius generalis archiepiscopi Lugdunensis, B. Gulielmus Delfaud erat archipresbyter et etiam deputatus cleri ad Coetum Legislativum, B. Alexander Lanfant notissimus concionator et strenuus in vinea Domini operarius. — Lectiones III Nocturni eaedem sunt, quae in festo SS. Ianuarii et Sociorum die 19 septembris in Breviario Romano assignantur.

Missa vero, ut ex schemate, patet desumitur ex Communi plurimorum Martyrum aut, ex parte, e festis aliorum Martyrum in Missali Romano iam inscriptorum, prout in ipso Missali post formularia Communia indicatur. Ratio cur non sumatur integra quaedam Missa omnino de Communi haec est, quod tales Missae saepissime recitantur in festis aliorum Beatorum Societatis Iesu; primis decem diebus, verbi gratia, huius eiusdem mensis septembris, Missa « Intret » cum lectionibus III Nocturni respondentibus ter recitatur, et sic de aliis.

Ceterum, ut diximus, proprie loquendo, omnes partes Missae propositae desumuntur ex Communi; et ideo omnino propriae non habentur nisi tres Orationes.

Quae cum ita sint, ab Eminentissimis Patribus concessum iri speramus, quod enixis precibus instanter petimus.

Quare etc.

Die 31 decembris 1926.

IOANNES BAPT. FERRATA, Adv.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS

A 1 IANUARII AD 30 IUNII 1927.

1-11 ian. — R. P. Iosephus Sawicki, Praepositus Provinciae Poloniae Maioris et Mazoviae, et P. Ladislaus Jankiewicz, Praepositus Provinciae Poloniae Minoris, qui paulo post festa Natalis Domini Romam venerant, etiam primos undecim novi anni dies nobiscum versantur.

22 ian. — R. P. Hermannus Walmesley, olim Angliae Assistens, post brevem morbum piissime in Domino quiescit, aetatis anno 77, Societatis 60. — De eo necrologium quoddam paulo fusius proximo fasciculo edemus.

24 ian. — Carissimo defuncto in templo S. Petri Canisii Collegii Germanici ordinaria cum nostrorum funerum simplicitate hodie parentatum est.

2 febr. — In templo SS. Nominis Iesu ad altare S. P. Ignatii Patri Nostri ultima vota excepit octo Patrum et unius Fratris ad varias Societatis Provincias pertinentium.

10 febr.-21 mart. — R. P. Ioannes Bapt. Della Pietra (Prov. Ven.), Pontificii Collegii Scodrensis in Albania Rector, nobiscum per mensem degit — die *9 martii* Delegatus Apostolicus in Albania nominatus est, et die *19 martii* episcopalem consecrationem recepit (1).

27 febr.-21 mart. — R. P. Robertum Brown (Prov. Angl.), Praefectum Apostolicum et Superiorem regularem Missionis Zambesianae, hospitem habemus.

7-14 mart. — R. P. Ioannes Costa de Beauregard, Praepositus Provinciae Lugdunensis, qui suas Syriae et Aegypti Missiones nuper visitavit, hebdomadam hospitio recipitur.

17 mart. — P. Laurentius O'Keeffe, Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum Adiutor, qui, etsi Curiae nostrae addictus, in Collegio Scriptorum ephemeridis « Civiltà Cattolica » ab aliquot mensibus degebat, deinceps in Curia rursus degere coepit.

(1) V. supra, pag. 9-10.

28 mart.-1 apr. — P. Ioachimus Diam. Alberti (Prov. Ven.), Instructor tertiae probationis Florentinae, Romam vocatus, aliquot dies apud nos manet.

28 mart.-7 apr. — P. Aloisius Koppendraijer (Prov. Neerl.), Oeconomi generalis Adiutor in Hollandia, ad negotia agenda in Curia aliquot dies degit.

4-18 apr. — R. P. Felix Mollat, Provinciae Franciae Praepositus, ex visitatione suae Missionis Nankinensis redux, Patrem Nostrum adit.

5 apr. — P. Albertus Boegle, Secretariatus Congregationum Marianarum Praeses, invaletudine diuturna tentatus, ad sanitatem citius recuperandam in suam Austriae Provinciam ad tempus remittitur, quin tamen officio suo fungi desinat.

18-22 apr. — P. Leo O'Hea (Prov. Angl.), collectionum opificum catholicorum in Anglia Praeses, cum Patre Nostro acturus, nobiscum aliquot dies versatur.

19 apr. — RR. DD. Paschalis Diaz S. I. (Prov. Mexic.), Tabasquensis in Mexico Episcopus, a sua dioecesi expulsus (1), Pontificii Collegii Pii Latini Americani hospes, hodie apud nos divertit.

19 apr.-10 maii. — RR. DD. Vedastus Robichez S. I. (Prov. Camp.), Trincomaliensis Episcopus et Gallensis Administrator Apostolicus, Apostolorum limina visitaturus, aliquot hebdomadas noster hospes est.

20 apr. — Aloisianorum ex Cechoslovachia peregrinorum manipulus Patrem Nostrum adit (2).

22 apr. — Complures e Gallicis Aloisianis peregrinis Patrem Nostrum conveniunt eique argenteum calicem obsequii causa offerunt (3).

25 apr. — Ad novam Curiae domum citius parandam eo se transfert cum quibusdam Fratribus P. Henricus van der Hulst, Curiae Minister, parvae illius futurae communitatis Vicesuperior designatus. Hic Ministri vices gerit P. Ioannes M. Restrepo, alter Secretarii Societatis pro Assistentia Hispaniae Substitutus.

27-29 apr. — R. P. Alphonsus Martin, Taurinensis Provinciae Praepositus, et P. Iulius Picco (Prov. Taur.), in Sardiniam transmeaturi, duos dies nobiscum versantur. Idem Praepositus, post hebdomadam e Sardinia rediens, iterum apud nos duos dies mansit.

2 maii. — P. Iosephus Boubée, Apostolatus Orationis Moderator generalis delegatus, Tolosa Romam cum Fratre socio venit, cum generalis illius Operis directio in Urbe deinceps consistere debeat (4).

(1) V. supra, pag. 10.
(2) V. supra, pag. 7.
(3) V. supra, pag. 7.
(4) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 555-556.

2 maii. — Excellentissimus Dominus Aemilianus Chamorro, Nicaraguensis Reipublicae olim Praeses, Patrem Nostrum invisit (1).

10 maii. — Pater Noster cum quibusdam aliis e Curia translationi sacri corporis B. Roberti Bellarmino in templo S. Ignatii adest (2).

13 maii. — Lugduno nuntiatur mors R. P. Eduardi Fine, Galliae olim Assistentis, aetatis anno 80, Societatis 62. — Eius necrologium proximo fasciculo edetur.

14-22 maii. — R. P. Mauritius Veys (Prov. Belg.), Superior regularis et Relator Missionis Calcuttensis, hospitio recipitur, cum Patre Nostro de sua Missione acturus.

18 maii-4 iul. — P. Edmundum Walsh (Prov. Maryl.-N. E.) hospitem habemus (3).

20-28 maii. — Nobiscum moratur R. P. Franciscus Salesius Hatheyer Provinciae Austriae Praepositus, cum Patre Nostro de negotiis suae Provinciae acturus.

26 maii. — Aloisiani peregrini Albanienses a Patre Nostro peramanter excipiuntur (4).

31 maii-2 iun. — Hospitem habemus R. P. Petrum Grana, Provinciae Venetae Praepositum.

31 maii — Ad partem domus novae Curiae habitandam se transferunt, praeter P. Henricum van der Hulst Vicesuperiorem (cfr. *25 apr.*), PP. Petrus Basterra Iosephus Boubée, Arthurus Codina, Henricus Dubois Eduardus Goulet, Hermannus Haeck, Laurentius O' Keeffe, Henricus del Portillo, Iulianus Sautu, et quinque Fratres (5).

4 iun. — R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, annuam visitationem communitatis Nostrorum in Pontificio Instituto Orientali instituturus, eo se confert ibique tres dies degit.

4-9 iun. — P. Antonius Galán (Prov. Legion.), Habanensis Collegii in insula Cuba Rector, ad negotia agenda vocatus, Patrem Nostrum adit.

13-23 iun. — R. P. Aloisius Coelho (Prov. Ven.), Superior regularis et Relator Missionis Mangalorensis, decem dies hospes noster est.

14 iun.-4 iul. — P. Henricus de Rafael (Prov. Arag.), Relator Missionis Bombayensi-Poonensis, in Curia moratur.

17 iun.-2 iul. — Adest R. P. Iosephus Subtil (Prov. Camp.), de Missionis Sien-hsien in Sinis visitatione a se peracta (6) relaturus.

(1) Cfr. supra, pag. 11.
(2) V. supra, pag. 43.
(3) V. supra, pag. 16.
(4) Cfr. supra, pag. 7.
(5) V. supra, pag. 17.
(6) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 533.

19-26 iun. — R. P. Franciscus Xaverius Froehly (Prov. Tolos.), Superior regularis et Relator Missionis Trichinopolitanae, nobiscum versatur.

20 iun. — Coetus Aloisianus Romanus Patrem Nostrum invisit (1).

20 iun. — P. Petrus Boetto, Procurator generalis, Pontificium Collegium Anagninum (Prov. Rom.) ex mandato Patris Nostri visitaturus, Anagniam se confert ibique aliquot dies degit.

28 iun.-3 iul. — Hospitio recipimus R. P. Dominicum Prestifilippo, Provinciae Siculae Praepositum, ad negotia componenda vocatum.

II.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae.

20 iun. 1927. — Litteris Apostolicis hoc die ad Episcopos Brasilienses datis, Summus Pontifex tres Apostolicos Visitatores ante aliquot annos in Brasiliam a Se missos magnis laudibus commemorat, quorum unus erat R. P. Marcellus Renaud (Prov. Mexic.). Quamquam illud Visitatoris munus ab anno iam exspiraverit, liceat tamen ex dictis Litteris Apostolicis haec transcribere: « ... Itaque delegimus, ut nostis, clarissimos viros tres: Iosephum a Persiceto summum Franciscalium Capulatorum moderatorem, Benedictum Lopez e Benedictino Ordine Abbatem, et Marcellum Renaud e Societate Iesu, qui, ad praescripta tum Sacrae Congregationis Consistorialis, tum Nuntii in Brasilia Nostri, apostolicam eiusmodi visitationem obirent; cum autem religiosi ii viri territoria unicuique lustranda communi consilio inter se dispertiissent, mirum quam sapienter et mature et studiose laboriosissimum officium expleverint..... » (2).

3-9 mart. 1927. — R. P. Ioannes Bapt. Della Pietra (Prov. Ven.) titulari archiepiscopali Ecclesiae Chalcedonensi die 3 martii praefectus est, et die 9 martii Delegatus Apostolicus in Albania nominatus (3).

8 maii. — P. Henricus Dubois (Prov. Camp.) in Coetum ad Musaeum Missionarium Lateranense in Urbe aptandum per litteras Cardinalis Secretarii Status a Summo Pontifice cooptatus est (4).

(1) V. supra, pp. 7–8.
(2) *Acta Apost. Sedis*, vol. XIX, 1927, pag. 92.
(3) *Acta Apost. Sedis*, vol. XIX, 1927, pp. 137, 164, 200, 241. — V. etiam supra, pp. 9–10, 49.
(4) V. supra, pag. 14.

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1927:

3 apr. — R. P. Ioannes Ross, Missionis Iaponicae (Prov. Germ Inf.) Superior regularis.

17 apr. — R. P. Iacobus I. Carlin (Prov. Nov. Angl.), Missionis Philippinae (Prov. Maryl.-N.E.) Superior regularis.

5 iun. — R. P. Hadrianus van Kalken, Missionis Bataviae (Prov. Neerl.) Superior regularis.

20 iun. — R. P. Franciscus Xav. Bellavance, Praepositus Provinciae Canadae Inferioris.

Mutationes in Missionum administratione.

17 apr. 1927. — Missio Philippina, decreto Patris Nostri die 2 februarii huius anni dato et hodie promulgato, a Provincia Aragoniae seiungitur et Provinciae MarylandiaeNeo-Eboracensi committitur (1).

Visitationes Provinciarum et Missionum.

Provinciam Toletanam a mense novembri 1926 visitat R. P. Henricus Carvajal (Prov. Legion.).

Missionem de Sien-hsien Provinciae Campaniae visitavit R. P. Iosephus Subtil (Prov. Camp.) a mense septembri 1926 ad mensem iunium 1927 (2).

Missionem Kwangensem Provinciae Belgicae visitavit R. P. Eugenius Thibaut (Prov. Belg.) a mense augusto 1926 ad mensem maium 1927.

Missionem Patnensem Provinciae Missourianae a mense maio 1927 visitat R. P. Ferdinandus Willaert, Provinciae Belgicae Praepositus, qui Calcuttensem, Gallensem et Trincomaliensem Missiones nuper visitavit.

Domus novae.

Curia Societatis:

Nova domus. — Pars novae domus satis ad habitandum instructa die 1 iunii parvam communitatem excipit, e Curia interim distractam (3). — *Borgo S. Spirito 4*, Roma 113.

(1) V. supra, pag. 14.
(2) Cfr. supra, pag. 51 (*17 iun.*).
(3) V. supra, pag. 17.

PROV. ARGENTINO-CHILENSIS :

Residentia Assumptionensis. — Assumptione, in urbe Paraquariae principe, die 4 ianuarii nova Residentia inchoatur (1). — *Av. Columbia 1201*, Assunción (*Paraguay*).

PROV. CASTELLANA :

Residentia Pampilonensis. — Pampilonae, in urbe adeo pro nostra historia celebri, nullum domicilium hucusque habebamus post restitutam Societatem. Tandem primo huius anni die omnium votis satis est factum. Antiquum templum, etsi sine Collegio, nobis concessum est. Tum Residentia, ex qua ad templum est aditus, eodem illo die 1 ianuarii 1927 inaugurata. Aderant RR. DD. Matthaeus Múgica y Urrestarazu, Pampilonensis et Tudelensis Episcopus, P. Mathias Ibinagabeitia Viceprovincialis (Praepositus enim in Venezuela tunc versabatur), multi homines conspicui, multi amici. Hora 11 sollemniter Sacrum factum est, post meridiem vero sermo auguralis habitus. — *Curia 8*, Pamplona (*Navarra*).

PROV. MARYLANDIAE-NEO EBORACENSIS :

Domus Exercitiorum Morristaunensis. — Die 5 iunii Reverendissimus Administrator Apostolicus vacantis dioecesis Novarcensis novae Exercitiorum Domui in paga Morristown in Statu Neo Caesariensi (New Jersey) coram multa fidelium turba benedixit faustissima, quaeque perutili operi ominatus; statimque Exercitiis tradendis initium est factum. — Morristown, *N. J. (U. S. A.)*.

(1) V. supra, pp. 30-32.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO 1927

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana	135	67	63	265	2	9	7	18
	Brasiliae Centr. (Vicepr.) (1)	48	50	27	125	—	—	—	—
	Neapolitana	112	93	69	274	4	13	2	19
	Sicula	111	69	80	260	—	4	—1	3
	Taurinensis	170	72	51	293	—1	7	—1	5
	Veneta	219	97	141	457	—4	10	9	15
	Socii Assist. Italiae	**795**	**448**	**431**	**1674**	**1**	**43**	**16**	**60**
Germaniae	Austriae	195	69	100	364	—2	—3	—	—5
	Brasiliae Merid. (Vicepr.)	118	44	67	229	—2	8	7	13
	Cechoslovaca (Vicepr.)	99	61	72	232	1	2	1	4
	Germaniae Inferioris	396	235	207	838	2	16	23	41
	Germaniae Superioris	238	139	127	504	—1	2	10	11
	Hungariae	88	85	62	235	1	7	4	12
	Iugoslaviae (Vicepr.)	65	36	57	158	3	2	2	7
	Neerlandica	304	168	124	596	—	1	—1	—
	Poloniae Mai. et Mazov. (2)	87	102	85	274	—2	36	21	55
	Poloniae Minoris (2)	140	129	123	392				
	Socii Assist. Germaniae	**1730**	**1068**	**1024**	**3822**	—	**71**	**67**	**138**
Galliae	Campaniae	457	196	117	770	4	3	4	11
	Franciae	426	154	139	719	—1	—8	4	—5
	Lugdunensis	395	161	149	705	—5	13	—2	6
	Tolosana	408	150	114	672	—7	—1	—2	—10
	Socii Assist. Galliae	**1686**	**661**	**519**	**2866**	**9**	**7**	**4**	**2**
Hispaniae	Aragoniae	411	274	334	1019	9	16	2	27
	Argentino-Chilensis	160	142	146	448	—2	11	4	13
	Baetica	168	134	118	420	—1	12	5	16
	Castellana	350	239	280	869	4	15	1	20
	Columbiana	97	118	109	324	3	10	6	19
	Legionensis	259	190	198	647	11	—	8	19
	Lusitana	185	85	119	389	6	2	2	10
	Mexicana	200	69	78	347	6	—2	—1	3
	Toletana	124	125	126	375	—	10	—7	3
	Socii Assist. Hispaniae	**1954**	**1376**	**1508**	**4838**	**36**	**74**	**20**	**130**
Angliae	Angliae	456	229	127	812	—1	2	—1	—
	Belgica	765	464	193	1422	20	1	4	25
	Canadae Inferioris	176	165	106	447	15	—9	—	6
	Canadae Sup. (Vicepr.)	46	94	25	165	4	7	3	14
	Hiberniae	244	185	62	491	8	4	—1	11
	Socii Assist. Angliae	**1687**	**1137**	**513**	**3337**	**46**	**5**	**5**	**56**
Americae	Californiae	251	237	95	583	17	30	—7	40
	Marylandiae-Neo Ebor. (3)	398	420	98	916	—126	—269	—30	—425
	Missouriana	584	495	162	1241	33	7	—7	33
	Neo Aurelianensis	180	110	43	333	5	3	—1	7
	Novae Angliae (3)	152	311	29	492	152	311	29	492
	Socii Assist. Americae	**1565**	**1573**	**427**	**3565**	**81**	**82**	**—16**	**147**
	Universi ineunte a. 1927	**9417**	**6263**	**4422**	**20102**	**155**	**282**	**96**	**533**
	" " " *1926*	9262	5981	4326	19569				
	Augmentum	**155**	**282**	**96**	**533**				

(1) Cum catalogus Viceprov. Brasiliae Centralis nondum advenerit, iidem numeri ponuntur ac anno superiore.

(2) Die 15 aug. 1926 Provincia Poloniae in duas Provincias divisa est.

(3) Die 31 iul. 1926 a Provincia Marylandiae-N. E. seiuncta est Regio Novae Angliae et in Provinciam erecta.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO 1927

MISSIONES	PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA					
Albania	Veneta	**15**	**5**	**19**	**39**
IN ASIA					
Armenia *(dispersa)*	Lugdunensis	5	—	2	7
Ceylan: *Gallensis*	Belgica	23	7	6	36
" *Trincomaliensis*	Campaniae	19	5	5	29
India: *Bombayensis-Poonensis*	Aragoniae	64	31	26	121
" *Calcuttensis*	Belgica	181	67	24	272
" *Goana*	Lusitana	21	4	5	30
" *Mangalorensis*	Veneta	50	20	18	88
" *Patnensis*	Missouriana	15	9	1	25
" *Trichinopolitana*	Tolosana	155	78	39	272
Iaponia: *Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	21	3	2	26
Iava: *Bataviae*	Neerlandica	68	30	10	108
Philippinae: *Mindanao*	Aragoniae	43	—	24	67
Sinae: *Ankingensis*	Legionensis	22	1	7	30
" *Hong-kong (inchoata)*	Hiberniae	3	—	—	3
" *Hwaisensis*	Taurinensis	19	—	3	22
" *Nankinensis*	Franciae	131	24	35	190
" *Shiu-hing*	Lusitana	13	1	4	18
" *Sien-hsien*	Campaniae	69	14	20	103
" *Wu-hu*	Castellana	28	2	6	36
Syria	Lugdunensis	83	22	43	148
IN AFRICA	*Universi*	**1033**	**318**	**280**	**1631**
Aegyptus	Lugdunensis	33	—	10	43
Africa Merid.: *Zambesiana:*					
" *Coloniae Capitis*	Angliae	17	—	10	27
" *Rhodesiae Merid.*	Angliae	45	1	25	71
" *Rhodesiae Septentr.*	Poloniae Min.	9	—	10	19
Congo: *Kwangensis*	Belgica	57	17	17	91
Madagascar: *Fianarantsoa*	Campaniae	42	2	11	55
" *Maurice et Réunion*	Tolosana	7	—	2	9
" *Tananarivensis*	Tolosana	45	3	7	55
IN AMERICA	*Universi*	**255**	**23**	**92**	**370**
Inter aborigenes: *Alaskana*	Californiae	21	—	10	31
" *Caughnawagensis*	Canad. Inf.	3	1	2	6
" *Dakotae Meridion.*	Missouriana	12	3	21	36
" *Indicae Canad.*	Canad. Sup.	17	2	10	29
" *Montium Saxos.*	Californiae	19	—	10	29
" *Tarahumarensis (disp.)*	Mexicana	10	1	10	21
Guiana Britann.	Angliae	18	—	—	18
Honduras Britann.: *Belize*	Missouriana	23	6	4	33
Iamaica	Maryl.-Neo E.	20	3	2	25
IN OCEANIA	*Universi*	**143**	**16**	**69**	**228**
Carolinae, Marianae et Marshall	Baetica	**17**	—	**20**	**37**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1927		**1463**	**362**	**480**	**2305**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1926		1443	340	480	2263
Augmentum		**20**	**22**	—	**42**